UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Homilia XXII. De Correptione Fraterna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

§. 17. Inter te. *Corripe: paſſeris occultando ſanguinem, & illis circumſtantijs, quibus vſus eſt Eliſeus.*

§. 18 Frater tuus. *Moueat te, quod peccator frater tuus ſit: ſicut animalia & piſces: Ioab & Abiſai.*

§. 19. Frater tuus. *Corripe conſiderans quòd qui peccat, frater tuus eſt, & homo, tu vero ſpiritualis.*

§. 20. *Sit correptio cum inſtructione, & doctrina, & labia tua lilia diſtillantia myrrham.*

§. 21. *Docuit Deus modum corripiendi peccatorem, ſuô modò procedendi cum Chananæis, Chriſtuſque D. Petro declarauit.*

§. 22. Lucratus eris. *Tale à Deo præmium obtinebit, qui lucratus illi fuerit animam, quale à Rege, qui regnum illi lucratur.*

§. 23 *Seuerè punit illum Dominus, qui vnicam animam perdiderit, vt patet exemplo Samsônis & Amalechitarum.*

# HOMILIA XXII.

## DE CORREPTIONE FRATERNA

### Tertio die Martis Quadrageſimæ.

*Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum, &c.* Matthæi. 18.

☞ 1 ANNALIVM Chriſti conſcriptor D. Matthæus ſermonem nobis refert ab ipſo, diſcipulis ſuis propoſitum, in quo diſtinctè, clarèque illis prælegit præceptum illud celeberrimum, legis ſcilicet diuinæ & naturalis, de fraterna correptione, modum pariter exponens, quò illud eſt adimplendum. Aduenerat Chriſtus regno peccati bellum illaturus: *Vt deſtruatur corpus peccati.* (Rom. 6.) Quod tanto ſtudio proſequitur, vt obliget, velitque cunctos familiæ, regnique ſui domeſticos, manus adhibeant auxiliares. Numquam euidentiùs Rex oſtenderet, quàm ſeriò bello velit laceſſere, ac euertere funditus ciuitatem, niſi ad hoc, nedum ſuos colligeret duces exercitus, milites, omneſque, caſtra qui ſequuntur, ſed & ſub pœna capitis præciperet, vt quotquot ſub ſuis militant vexillis, illi cooperarentur intentioni, nobiles, plebei, mercatores, operarij, diuites, pauperes, iuuenes, ſenes, imo & ipſe ſexus mulierum infirmior. Ecce mente quam ſeria, Rex ille Regum Saluator noſter, regno velit peccati bellum inferre; ad hoc namque primo ſuos conuocat duces, nimirum Apoſtolos ſuos ac diſcipulos, & quàm primùm illos conſcribit, eoſdem præmonet, ad bella ſe ſuccingant, ad hoc quippe miniſterium illos elegit, dicendo: *Vos eſtis ſal terræ, lux mundi, ciuitas ſupra montem poſita.* (Mat. 5. 15.) c. d. Tres obtinet regnum peccati partes ob tria genera peccatorum: ignorantiæ, malitiæ, atque infirmitatis. Vos nomino Capitaneos vt omnibus manibus, tôtoque conamine bellum illis inferatis, ignorantiæ, vt lux: infirmitatis, vt ciuitas refugij: denique malitiam, velut ſal vrens. Nec his contentus, vult inſuper, vt quotquot Eccleſiæ ſuo regno continentur, prodeant in aciem, & quiſque pro modulo ſuo, bello peccatum infeſtet, vbicumque illud regnauerit. Si frater tuus (præcipit Chriſtus) peccauerit, ceciderit, in aliquam lapſus fuerit culpam ilico contra illam occurre, & in fratris tuâ ſubſidium, corripe illum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, magnam lucratus es mercedem, lucrum eſt immenſum quod obtinuiſti: proprium namque lucratus es fratrem. Si te non audierit, corripe illum medio fortiori, duos aut tres conuoca teſtes, vt illis tuam fulcientibus correptionem: tantò ſit hæc efficacior.

Dum Vates Eliſeus vult oleum in vaſa vacua fundendum, ſuperabundet, & ſuperefluat, decernit, vt vaſa in locum reponantur ſecretiorem, &

ſantio

ianuis clauſis, ſolique duo vel tres admittantur qui ſufficerent vaſis adferendis, & tenendis, ſic vt oleum aptiùs illi infundatur. Idem nunc Domini recolimus præceptum: vt dum vacuus eſt ille, quem corripuiſti, te cum illo concludas, admiſſis duobus aut tribus alijs, vt infundente te correptionis oleum illam ſulciant, dicendo, iuſtum eſt quod dicis, & ex ratione, debetque ſe in eo de quo illum admones, ſeriùs emendare. Si nec illud proficiat, ait Dominus, illum annuntia Superiori, quatenus ipſe, patrem agens, manum adhibeat potentiorem. Si ſurdas Prælato præbuerit aures contumax, illum deſere, vt iam condemnatum. Hoc nobis hodie præceptum proponitur, neceſſario prædicandum: cum indebitè obſeruetur, imo adeo traditum obliuioni, vt non ſit, qui ſibi ſcrupulum faciat, illud fuiſſe tranſgreſſum. Sunt ne hac in ciuitate peccatores? Vtinam tot non eſſent. Noſtin' illos? Aliquos eorum noſti? Et adhuc obloqueris. Numquid forſan eorum aliquem corripuiſti? Tu ſcis. Num te huius vnquam defectus conſcientia momordit? Nos hoc videmus Confeſſarij, quòd nec quidem hoc ſemel cogitaueris. Verè ſi præceptum hoc demergi poſſet, per non vſum abrogari, ſuaſque per oppoſitam vires perdere conſuetudinem, eius iam nec cineres, nec memoria ſupereſſent. Attamen diuinum eſt, contra quod nulla poteſt præſcriptio, nulla præualere conſuetudo, centum licet annorum, imo centum mille annorum vſu confirmata, ſecundum aliàs dicta.

Helciam Sacerdotem imitabimur, de quo appoſite narrat Spiritus S. cum enim ex Regis Ioſiæ Sanctiſſimi præcepto cæmentarij quædam profana obſcœnaque diruerent opera, in templo Dei olim ædificata, quodam decidente parietis cratitij fragmine reppererunt Dei legem, ſeu tabulas quas Moyſi conſignauerat, quarum iam interierat memoria: Pulverem abſtergit, Regique munus defert Ioſiæ, quo coram eo legem prælegente, omnia obliuione ſepulta Rex cognoſcit & ingemiſcit. Quis credat, talem legem & quidem ipſius Dei, ita mortalium excidiſſe memoria? Toti populo prælegatur, & ſinguli ſuam præteritam agnoſcant negligentiam, cunctique nouerint, ad eius obſeruantiam ſe omni poſtpoſita ratione conſtringi, cum lex ſit illa, à Deo ipſo conſtituta; ſingulis hoc diebus
4.Reg.22. agimus quadrageſimæ, ſarculo namque linguæ noſtræ prophana diruimus opera. Adſumus hodie; cum diuina hac Domini lege, tradi a obliuioni, & puluere rationum noſtrarum, tepidaque cooperta charitate. Hoc igitur agemus, pulcerem abſtergemus, quo contegitur, & omnium obtutibus nitidam exponemus obligationem, qua quiſque ad eius tenetur obſeruantiam explicabimus. Conatibus noſtris diuinæ luce ſuæ gratiæ clemens adſpiret Deus quam Virgine Dei Matre mediatrice, poſtulabimus, dicentes: *Aue Maria.*

### §. 1. *In ſchola diaboli ſui ſolius cura docetur, in Dei verò etiam proximi ſollicitudo mandatur.*

ARgumentum conſcripſit noſtro congruum propoſito D. Chryoſt. vt ei demus principium, quod nobis S. Saluatoris hodie proponit Euangelium. Omnibus plus ſatis notum eſt, inquit Diuus Chryſoſtom. Deum dæmonemque mutuo repugnare. Noueris ergo, quòd ſicut ſibi mutuo ſunt contrarij, ſic diuerſas & oppoſitas claſſes inſtituunt, diuerſas & contrarias profitentur ſcientias, diuerſos, & ſibi pugnantes conſcribunt inſtituuntque diſcipulos. In dæmone amor imperat proprius, & hinc eius manauit perditio, quod propriam intuens pulchritudinem, ſibi à Deo conceſſam, ita in proprium ſui ipſius amorem exarſit, ſibique complacuit, vt cætera omnia præ illa deſpexerit pariter & neglexerit: ipſum etiam Deum, omnem ſuam ſolicitudinem, in ſuiipſius tantum exiſtimationem, gloriamque conuertens; hanc proinde tantummodo diligebat, hanc curabat, huic intendebat. Ea de cauſa à Deo ſpectandus offertur D. Ioanni ſub rubræ beſtiæ ſymbolo, velut in proprium ſuiipſius amorē, vltra quàm credi poteſt exardeſcens. Huic conuenit, quam in ſua profitetur claſſe doctrina, vt ſibi ſoli ſtudeat homo, ſuam propriam intendat vtilitatem, lucrum, delicias, cætera licet pereant: hoc eius quoque ſequuntur, docentque diſcipuli, æmuli præceptoris. *Imitantur illum, qui ex parte illius ſunt,* teſtatur Spiritus S. ſibi etenim ſoli laborant, ſui ſ lius curam gerunt ſedulam: *Erunt homines ſeipſos amantes*; prædicit Apoſtolus. Erunt dæmonis aſſeclæ homines Narciſſi ſuiipſius nullius enim alterius negotia tractabunt, lucra, profectumque promouebunt. Primus diſcipulus, qui huic adhæſit magiſtro, Cain fuit: *Primus diaboli diſcipulus*, notatur à D. Baſilio, *Cain ex maligno erat*, inquit D. Ioann. Vnde conſpicies? Quærenti quod ab eo Domino vbinam terrarum frater eius eſſet, reſpondit: quid ego ſcio?

Num

Gen.4.10. *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Non ille me tangit.

Scribæ & Phariſæi hanc continuò claſſem frequentarunt, quos idcirco Dominus redarguit? Ioan.8.14. *Vos ex patre diabolo eſtis.* Proinde, videbis quòd Iudæ peccanti & ad ipſos pro ſalutis remedio recurrenti fatentique culpam: Matt.27.4. *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*: Reſponderint: *Quid ad nos, tu videris.* Iam quod optabamus, habemus in manibus, quid ad nos, ſi te diabolus prædam auferat? Talis eſt eorum vox, qui concinunt: ſim ego ſaluus, quietus, contentus pecunias habeam conſumendas (a) tibiaque per forum plateaſque reſonet vtricalis. Adagium eſt, In Deo vero, regnat adeo charitas, vt dicatur ipſa eſſe charitas: 1. Ioan. 4.8. *Deus charitas eſt.* Doctrina, quam ſuis prælegit diſcipulis, doctrina eſt amoris, & mutuæ charitatis, & per hanc intendit, vt tales eſſe ab alijs agnoſcantur: *In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioan.13.35. Si non veſtri tantummodo curam agatis, ſed & proximorum, non tantum ea quæ veſtri ſunt, ſed & quæ fratris tui complectamini: Eccl.17.12. *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.* Singulis ſuæ claſſis præcipit diſcipulis, vt proximi rationibus ſalutique benè conſulant: hoc etenim nobis hodie iniungit, docetque præceptor: *Si peccauerit in te frater, vade & corripe eum, &c.*

II. In Deo eſt charitas.

Cuncta ſuis Dominis prouidit neceſſaria fidelibus, non quibus ſolum bonum operarentur, ſed & à malis ſibi cauerent. Numquid quædam reliquit, nobis ad bene operandum, ſubſidia? Certum eſt quòd & relinquere deberet, vt à malis liberemur. Optimum eſt etenim conſilium, dare candelabris forcipes emunctorias. Candelabrum multarum requiritur lampadum, quòd in aula dependeat, aulæis ornatâ pretioſiſſimis: noctibus etenim nihil horum quis videt, aut aulæ recreatur maieſtate, ad hoc ſtatuatur condignum aulæ magnitudini candelabrum, aureum candelabrum, cum verò nulla lux ſit adeo pura quæ nullum non producat mucum, ad hoc fiant emunctoria auro fuſilia, quibus candelarum mucus emungatur. Quid arbitramini in hac opulenta nos eſſe aula Eccleſiæ? Velim ſciatis nos eſſe aurea charitatis candelabra, ex quibus lumina bonorum operum elucefcunt. Quiſque Chriſtianus candelabrum eſt accenſum, vt in Eccleſia lumen diffundat clariſſimum. Vtinam ex auro ſimus? Faxit Deus omnes eſſemus, de auro primo, examinato, purgatoque charitatis! Cognoſcendum eſt, in quo charitatis aliquas habeat conditiones: 1. Cor. 13.4. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Charitas, patiens eſt, gratia perfert in ſaletem bonumque proximi? quia benigna eſt, & in illa totius legis Dominicæ completur plenitudo: Ro.13.8. *Qui diligit proximum legem impleuit.* Hinc perſpicuè cognoſces, num aureum ſis candebrum & locum habere in aula poſſis Eccleſiæ, vt lucem diffundas operum, quæ de charitate procedant ardentiſſima.

III. Fraterna correptio dicitur emunctorium.

Verumtamen quia nulla tam in hac vita perfecta charitas, quæ quibuſdam non inquinetur defectibus, mentiſque imperfectionibus, quas mucum dicimus, quæ aliquantulum lumen obfuſcant candelabri: ideo decernit Chriſtus fieri forcipes emunctorias, quæ mucum hunc decerpant, & vult ſint in Eccleſia, qui corripiant vt ſui lucem fundant fideles clariſſimam. Nota tamen, requiri vt auro conficientur emunctoria, vt hæc fiat cum charitate correptio, quæ de Dei procedat dilectione. Quodque peccatum ſic habes æſtimandum, quaſi fuiſſet in te commiſſum, cum ſit contra Deum, vtique Patrem noſtrum, & eadem ratione, qua te propria conſtringit conſcientia, id omne vitare, quod tibi moleſtum eſt & tædioſum, adſtringit quoque, vt ea omnia tollas quæ contra Deum ſunt, eiuſque offenſiua maieſtati: fraterna namque correptione laboras, vt Dei euitetur iniuria, proinde ex Dei amore neceſſario eſt facienda correptio.

IV. Ratio faciẽdi correptionem

Non leuiter, quæſo, tranſeamus, illam D. Pauli ponderationem mirabilem, de peccatore publico Corinthino. Caſus hic erat toti ſcandaloſus ciuitati cunctiſque innotuerat laſciuum concubinatus publici viri huius ac inceſtuoſum adulterium; iamque paſſim videbatur ab omnibus in riſum iocumque conuerti, ita vt nullus huic damno occurreret, nullus amoueret ſcandalum; Apoſtolus autem Zelo diuini honoris commotus, illos aſperius obiurgat: 1. Cor. 5.2. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis?* Eſtne vt fieri poſſit, rem adeo grauem, ſicut hæc eſt adeo grauis Dei iniuria, riſui excipiatis, nec corda vobis mœrore, doloreque dirumpantur, dum Deum veſtra in ciuitate tam enormiter offendi, prouocarique coram intuemini? Quis in illa eſt, qui tale quid videat illique peccatum nefandum verſetur ob oculos, & non per illos cor diffuat lacrymis? Quanto mœrore luctuque Dauidis famuli conficiebantur, quando puer moriebatur, cuius morte nouerant Dauidis animam dolore cruciandam non minimo? Inter ſe de triſtitia, qua premebantur, differebant, Regis ſui defunctum filium videntes, quem vt animam

ſtram diligebat. Quid acturi ſumus? qua ratione hanc reparabimus iacturam? Quod ſi illi potuiſſent ab inferis reuocare puerum, quid non egiſſent? Et quanto illum tripudio Dauidi patri viuum obtuliſſent, acclamantes, quod hunc illi filium eſſent lucrati? Hoc idem igitur in hoc vobis eſt peccatore conſiderandum. Num Fideles eſtis Dei famuli? Hoc autem ſcitote Chriſtianum eſſe filium Dei per gratiam quam in ſacro baptiſmatis fonte recepit, adeo diuinæ chariſſimum Maieſtati, vt ſit illud, quod cæteris habet charius. Mortuus eſt per peccatum Dei filius. Heu quis Deo mœror? Et ſi noueritis Deum adeo moleſtè ferre filij ſui interitum, quomodo te, qui te fidelem Dei ſeruum gloriaris, illa non contriſtat non percellit perditio? Attende quàm grauiter illud ponderet: *Et non magis luctum habuiſtis?* Quid non ageres, vt illum, ſi poſſes ad vitam lucemque reuocares: Nemo dubitat; quin ex amore quo diligis eum feruentiori, ſi à libera tua dependeret poteſtate, licet tuo quàm maximo foret labore ſtudioque peragendum, illum reſuſcitares, redderesque Deo rediuiuum. Nec de hoc dubites: tua fratrem lucraberis ac reſuſcitabis admonitione: *Lucratus eris fratrem tuum.* Ecce quàm excellens opus efficiat fratri tuo ex Dei amore facta correptio.

V. Homo eſt Dei filius per gratiã.

Lib. 50. Ho. 2.

Contemplatur D. Auguſtin. oſtenſam Iſaiæ viſionem. Vir erat hic & vates pollutis ſordibus labijs, Deum vidit throno reſidentem pleno maieſtatis, velut Cathedrâ ſublimiſſimâ, diſcipuli vero, qui latus illius cingebant, Seraphini erant Dei charitate feruentiſſimi, vidit autem vnum de circumſtantibus Seraphim, qui forcipe tolleret carbonem igne diuino ſuccenſum, volatuque celerrimo prophetam conueniat eius illi labia purificaturus: *Volauit ad me vnus de Seraphim.* Hoc ſemper in animum induxi (ſcribit D. Auguſtin.) talis magiſtri diſcipulos Seraphinos eſſe debere charitate flagrantiſſimos, & non aliud acturos quam mundare, ac quod erat immundum in propheta, purificare, & hoc tantâ diligentiâ, vt, volans accederet: *Volauit ad me.* Hoc indubiè congruit illi (teſte D. Baſil.) quod Spiritus S. ait: *Qui diligit inſtanter erudit.* Hic etenim eſt diſcipulorum Dei ſpiritus, amore feruentior, & in proximum charitate flammantior, vt etiam atque etiam celerrime aduolent, mirum in modum illum à peccatis ſuis ſordibusque mundaturi. Hoc fraterna faciunt correptione, dum ſuos illi defectus intimant, ac reprehendunt: nec aliud ſuis Chriſtus affectis mandat, vt faciant: dum ait: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. vade & corripe eum, &c.*

Iſa. 6. 6.

VI. Fraterna correptio eſt carbo ignitus, quo Iſaias mũdatur.

De regu. breu. inter. 59.

Prou. 13. 24.

## §. 2. Si peccauerit. *Ex lege naturali tenetur quiſque proximi tueri rationes, ac multò magis in lege charitatis.*

Hoc venit nobis hic præſupponendum, quod Chriſtus hoc in Euangelio nobis ſeruandum præcipit, non eſſe conſilium, quod noſtræ liberum permittat voluntati, ſed præceptum quod ſub mortali nos obligat peccato. Ita Theologiæ primus doctor D. Thom. *a.* confirmat, doctrinæ Sanctorum inhærens, nominatim autem D. Auguſt. *b.* Licet autem præceptum ſit naturale, quod ſemper, cunctoſque conſtringat, particularius tamen, præceptum legis eſt Euangelicæ, dominatur vbi charitas, tantoque ſtrictiùs innodat Chriſtianos. Hoc autem probatur procedendo ab Analogia corporis naturalis, ad Eccleſiæ myſtici, qua ratione crebro Apoſtolus vtitur, vt ſuam Chriſtianis efficaciter perſuâdeat obligationem. Ex qua cauſa, patet, inquit, quòd omnes, qui in Eccleſia viuimus, vnum efficimus corpus, & quiſque huius eſt corporis membrum: *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Quid eſt corpus naturale? Vnum totum compoſitum, ac multis ex partibus conſtitutum, vno eodemque ſpiritu & anima coniunctis, vna anima viuificatis, vno eodemque per illam alimento ſuſtentatis, atque amore vnius ad alteram naturali vnitis, adeo vehementi, vt vna alteram adiuuet, tueatur, & vt proprium ſibi, bonum reputat alterius; pari modo fert moleſtè, vna damnum alterius, quaſi proprium; dum autem pars vna nocumento afficitur grauiori, confeſtim reliquæ accurrunt, vt illi, quaſi ſibi ipſis medeantur. Caſu fortuito ſpinam pedi infixiſti, dicto citius aliæ ſunt partes oppidò ſollicitæ & damnum illud vt proprium æſtimant. Os conqueritur, & proteſtatur, quod damnum ſit ſuum, & ait, doleo, ſpinam pede calcaui, male me habeo, cum tamen illud non ſpina læſerit, ambo ſuccurrunt brachia, quæ pedem amplectantur, ac ſuſtineant; oculi fixiùs vbi vulnus ſit, contemplantur, manus ad æmulationem digitos applicant, nec deſiſtunt, donec ſpinam euulſerint.

a 2. 2. q. 33. a. 2.

b Serm. de verb. Domi.

Ro. 12. 5.

I. Corporis naturalis & myſtici ſimilitudo.

Hoc confirmat Apoſtolus: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, ſiue gloria.*

1. Cor. 12. 26.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D.CHRY- *gloriatur vnum membrum, gaudent omnia mem-*
Hom.31.1. *bra.* Quod Diuus Chryſoſtom. declarat ex vſu
ad Cor. quotidiano, quò videmus, ſi caput coronâ redi-
T.4. mitum honoretur, omnes honorantur partes,
totum præfulget corpus: *Coronatur caput, & totus homo glorificatur.* Phalarico recreatur lingua vino, cunctæ corporis partes hanc exteriùs declarant hilaritatem. Hoc amor agit naturalis, quem anima inter vnius corporis partes excitat, vnius ad alteram. Quantò magis conuenientius eſſet in corpore Eccleſiæ myſtico amor ille mutuus effloreſceret, quod vno eodemque Chriſti ſpiritu viuificatur, nimirum Spiritus S. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto,* qui partibus amorem infundit charitatis, vnius ad alteram:
Rom.5.5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spi-*
II. *ritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Notiſſima eſt
Amor optimæ Theologiæ doctrina, quòd amor cha-
charitatis ritatis, ſit ipſo naturali potentior: eſt etenim a-
fortior eſt mor gratiæ, hæc autem, fortior eſt ac poten-
naturali. tior, etiam in ſuo minimo gradu, totâ naturâ, in ſuo vigore ſummo ac robore potentiſſimo; hæc eſt, quæ te monere; te debeat inſtigare, aliarum partium vt bonum apperas, ſcilicet proximorum, & feſtinatò ſuccurras, vt damnum, quo affliguntur, auferatur, & ſi notaueris, quòd alter ſibi peccati ſpinam inflixerit, accurrendum tibi eſt, tibi & omnibus peccati conſcijs, laborandum quo citiùs eruatur, nec deſiſtendum donec omnino ſit eradicatum. Hoc & docebat, & faciebat Apoſtolus: contuens enim debilem, & qui in adulterij peccatum prolabebatur, pro illo lacrymas fundebat, dolentique caſum animo patiebatur: *Quis infirmatur,*
2.Cor.11. *& ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego*
29. *non vror.* Quis te mouet Apoſtole pijſſime? *Cha-*
2.Cor.5. *ritas Christi vrget nos.* Si proximi non ſentias
14. detrimentum; nec ades vt feras velox auxilium, Dei tibi demonſtras deeſſe charitatem, in qua vita conſiſtit animæ, quodque proinde coram Deo mortuus habeatis iam enim di-
1.Ioan.3.14. xit Diuus Ioannes: *Qui non diligit, manet in morte.*

☞ 4 Hoc autem exponitur euidentiùs ratione Do-
III. ctoris Angelici. Res eſt in confeſſo, quòd ex le-
Lex amo- ge charitatis amare tenearis proximum, ſicut
ris proxi- teipſum, eius optare bonum, auertere malum,
mi nos ad quaſi à teipſo, in tantum, vt in hoc reliqua
correptio- comprehendantur præcepta, quocirca dixit Apo-
nem obli- ſtolus: *Qui diligit proximum, legem impleuit. Ple-*
gat. *nitudo ergo legis, eſt dilectio.* Quinimo, à quo claſ-
Rom.13.8. ſes frequentaſti, hoc tibi quod didiciſti memoriæ adhæſit, quòd omnia Dei præcepta, ad duo reuocentur, amorem ſcilicet Dei ſuper omnia, & proximi ſicut tui ipſius. Ex his concludit D. Thomas, ſi quando videris proximum tuum, premi neceſſitate, poſſiſque illi ſubſidio eſſe, quòd ad hoc tenearis: *Qui habuerit ſubſtantiam* 1. Ioan.3.
*huius mundi* (proteſtatur amoris ille diſcipulus 17.
D. Ioannes) *& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* An hoc tibi elapſum eſt, quod de diuite Epulone diximus, quòd hanc ſolum Chriſtus eius profert æternæ cauſam damnationis, quòd videns Lazarum inopiâ laborantem extremâ, cui cum fruſto poſſet panis auxiliari, atque paſcere eſurientem, noluit tamen? Nunc igitur, vtra (precor) grauior eſt neceſſitas, corporis, an animæ? Vtrum maius malum, mortis periculum corporalis, aut
animæ damnationis in æternum? Optumè Sal- IV.
uator hoc noſter definiuit, dicens, non mul- Maius
tum timendos, malos homines corporum occi- damnum
ſores at timendi ſunt illi, qui corpora trucidan- eſt animæ
do, perpetuis animam ignibus deuouent exu- quâ cor-
rendam. Ille qui peccato polluitur concubina- poris.
tus, & coram te prolabitur, numquid non grauiori premitur neceſſitate, quâm Lazarus ad ianuam proſtratus, ſpectante diuite, ſubleuandus? Propitius ſit mihi Deus qua premitur neceſſitate, cui periculo exponitur? maiori procul dubio, quàm ſi in puteum corruiſſet, vt Hieremias; apertiori quàm ſi in lacum mitteretur leonum, vt Daniel; manifeſtiori, quàm ſi cum Iona in abyſſum, mariſque mergeretur profundum; omnis adeo expers remedij, vt ipſe per ſe habeat nullum, niſi de cœlo ſingularis illi fauor affulgeat. Illi tu potes auxiliari vnâ verbuli micâ, vno panis fruſto correptionis, vnius manus extenſione, quâ illum cum de ſua perditione, tum de periculo præmones imminenti. Si non hoc egeris: *Quomodo charitas Dei manet in illo?*

Meminiſſe videtur D. Ioannes illius viſionis, quam habuit: vidit etenim Angelum cum thuribulo, acceſſit hic (inquit) ad altare Dei, in quo ſuccenſus erat ignis non minimus, & ſumptis de altari carbonibus, ſuum impleuit thuribu-
lum: *Impleuit illud de igne altaris,* quo miſſo in Apoc.8.5.
terram: *Facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura.* V.
Iam alias diximus ignem hunc altaris Dei ſig- Allegoria
nare charitatem. Quam primum de ea cor no- ex Apo-
ſtrum velut diuinum quoddam incenſorium ad- calypſi.
impletur, ignis accenditur vehemens, hinc voces procedunt correptionis, tonitrua reprehenſionum, ſalubrium fulgura conſilio-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum, quibus peccator ad meliora conuertatur. Si hoc non fiat, ignis non ardet cœleſtis: *Quomodo charitas Dei manet in illo?* Quinimo ea de cauſa (vt indicat glorioſus Dei Martyr Cyprianus) dixit Dominus Laodicenſium Epiſcopo, poſt aſperam datam, grauemque correptionem, ne ob eam exacerbaretur, aut ex odio profectam indicaret, ſeu maleuolentia, ſed amore potius beneuolo: continuò ſubiungit: *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Doctrina eſt hæc quam multò ante docuerat Spiritus S. & declarat Apoſtolus. Amoris eſſe & charitatis effectum, arguere, reprehendere, monere peccatorem. Si verò, quando opus illi eſt, non arguitur, non reprehenditur, non monetur: non ardet amor, frigeſcit charitas, tepet affectus: *Quomodo charitas Dei manet in illo?* Inſuper & hoc ait Spiritus S. *Qui diligit inſtanter corripit*, ex lectione D. Baſilij. Amor ignis eſt, ſuis in operibus ſedulus. Quando cernis illum, cui in laboribus fauſta comprecaris, in puteum corruiſſe, equi pedibus proſtratum, conculcatumque, quâ non accurris eum diligentiâ liberaturus? Si hoc non fiat, nec amor eſt, nec charitas.

*L. de diſciplina, & habitu virg.*

*Apoc. 3. 19*

*Prou. 13. 20.*

## §. 3. Corripe. *Non corripere peccatorem eius eſt velle perditionem, & labiorum immunditiâ laborare.*

Singulari hoc ſuâ proſequitur argumentum eloquentiâ D. Chryſoſtom. Conſultum eſt, vt alterius pallium videns maculatum, aut veſtem inuerſam, ilico de hoc illum admoneas. Si araneam caput illius percurrentem adſpexeris, ilico manum applicas illam excutiens, vt ab illa liberetur. Si pariter alterum videris ceſpitantem, equoque dilabentem, caput ſibi diffringentem, ſenſibus expertem, feſtinas velociùs; erigis cadentem, & omni qua potes infirmum curâ foues & remedio. Proximum autem contuens animâ ſordidum, ſerpente atque aranea peccati demerſum mortiferâ, ſublimi gratiæ equo delapſum, intellectus offenſum oculis, velut cœcum; Quàm coram Deo negligentiæ correptionis obtendes rationem? Expedit ipſe loquatur Chryſoſtom. *Si quem videmus veſte breuiori, vel alioquin indecenter veſtitum, admonemus & emendamus: verum videntes vitam eius diſſolutam, nec verbum quidem proferimus, videntes mores eius nefarios, præterimus, tametſi ridicula ſint quæ ad veſtes pertinent, periculoſa autem, & damnoſa, quæ ad animam: dic obſecro nonne cum vides fratrem per præceps ferri, manum ei porrigis? non ne à lapſu erigis? nonne reprehendis, & arguis? Et in his maioris fatis, non offendere & non haberi pro inimico; quam ſalutis eius curam habere? Et quam habiturus es apud Deum veniam, vel quam defenſionem?* Ad huius argumenti confirmationem expendit illud Domini præceptum datum populo ſuo: *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* Trutinat id quod intereſt, legis ad legem, populi ad populum, rei ad rem, & damni ad damnum. Si namque in illa lege quæ non amoris, ſed lex erat timoris, Deus decreuerit, vt quiſque tantam bouis aut aſini inimici ſui ſuſciperet curam: quid cum in lege velle Euangelica arbitraris, amoris lege, vt agas non cum hoſtis tui iumento, ſed tui fratris anima, adeo pretioſa, vt ipſa ſola cœlis, terraque præponderet eminentior? Iterum profero Chryſoſtomum: *Nonne audiſti, quod Deus Iudæis præcipit, nempe ne errantia inimicorum iumenta deſpiciant, & lapſa ne prætereant? Quod cum Iudæis præceptum, ne inimicorum bruta contemnant, nos ne fratrum animos, qui quotidie ſupplantantur, deſpiciemus? Et quomodo non eſt ſumma inhumanitas, & ferina crudelitas nos non tantum curæ hominibus impendere, quantum alij iumentis? Hoc eſt quod vitam noſtram confundit, hoc eſt, quod omnem ordinem ſubuertit.*

☞ 5 D. CHRY. *Ho. 1. ad pop. & peculiari. Ho. de ferendis reprehen. Tom. 5.*

I. Aſtruitur fraterna correptio, ratione à minori ad maius.

*Exo. 23. 4.*

D. CHRY. ib. & Ho. 44. cit.

D. CHRY.

Quam efficax fuit illa ratio Ioſephi ab Ægyptijs propoſita, dum libellum offerunt ſupplicem poſtulantes eorum benignus extremæ ſuccurrat inopiæ, cum illi triticum eſſet, quo poterat, abundantiſſimum: *Cur moriemur te vidente?* Quis credat, cor inueniri tale, quod nos cum morte luctantes videat, & negligat auxiliari? Eſtne vt fieri poſſit, vt hunc videas puteo ſubmergi, flumine alterum, & cum illis poſſis ferre præſidium, funem adijciendo, prætereas? Ex his hanc educit D. Auguſtin. propoſitionem, quam expendit Doctor Angelicus; *Si neglexeris corripere, peior factus es eo, qui peccauit.* Et ratio eſt: alter namque peccat, quia illi virtus, deficit & animi fortitudo, tu vero peccas, quia tibi deficit charitas regina virtutum, & hæc eſt culpa grauior. Deinde ponderat idem Doctor quantum ſit hoc peccatum, ex communi ſententia, quam docuit D. Ambroſ. Quod quicumque viderit alterum aquis præfocari, cum illi poſſit eſſe auxilio, periculoque eripere, non

*Gen. 47. 19.*

D. Aug. L. 16. de verbis Dom. ſ. 10.

II. Si non corripis, occidiſti.

D. 1. de off. c. 4. Ambroſ. Ep. 4. & 50. Tom.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non tamen eripit, ipſe eſt, qui alterum ſubmergit; ſicut qui alterum fame perire contuens, cum paſcere poſſit, nec paſcit, ipſe occidit. *Paſce famem patientem, & ſi non paviſti, occidiſti.* Hanc ſequitur D. Gregorius: *Si indigentibus proximis abſcondimus pecunias, eorum mortem optamus: ita ſi peccantibus fratribus ſubtrahimus correptionem* &c. Pro cuius quoque confirmatione hanc adducit Spiritus S. ſententiam: *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis.*

His appoſitè ponderat D. Auguſtin. hanc Apoſtoli ſententiam, qui poſtquam præcepit errantes eſſe corripiendos, *Corripite inquietos* addit: *Videte, ne quis alicui malum pro malo reddat.* Quod ex opinione D. Auguſtin. hoc ſignificat. Non occurras malo proximi tui, cum malo. Quis hoc facit? qui malo peccati proximi, ſuæ malum ſuperaddit negligentiæ, ac ſocordiæ, dum illum in illo perire ſinit malo, in quod prolapſus eſt; qui malo peccati quod commiſit alter, legem infringens non furandi, vel non fornicandi, malum reddit, quo ſcilicet præcepto deficit charitatis, quod ſupremum eſt omnium. Hoc ſenſu interpretatur D. Baſilius illa Domini ſcita in lege veteri: *Ne oderis fratrem in corde tuo, ſed argue eum, ne habeas ſuper illum peccatum.* Qua dic mihi, ratione, fratrem, quem quia non arguo, deteſtor? vtique; quia non illum corripiendo, non illum, vt teneris, diligis, & eodem caſu, deſideras in illo pereat, in quod lapſus eſt, ſcelere. Liquidò conſtat, quod diceremus, talis odio perſequitur illum, quem mari demergi conſpiciens, perire ſiniſſet, nec funem natanti porrexiſſet, nec vllum dediſſet pereunti ſubſidium. Opus eſt amoris illum reprehendere, & longè maioris vtilitatis, quàm modicum panis elargiri fame deficienti. Hoc agito, fratrem arguito: *Ne habeas ſuper illum peccatum.* Formulam expende loquendi. Quod eſt illud peccatum, quod plenis buccis dicitur peccatum? quod eſt illud obſecro; peccatum, quo tali nomine aggrauatur? Illud quod contra charitatem cõmittitur, vt dictum eſt. In hoc grauiſſimum incidis peccatum, ſicque ex parte, tuum grauius eſt peccatum illo, cuius reus proximus accuſatur.

III. Peccatũ addit peccato, qui peccantem non arguit.

Ad rem noſtram inquirit D. Hieron. quæ fuerit illa labiorum immunditia, qua vates Iſaias dicitur laboraſſe, vt eius ipſum puderet, illam deploraret, atque ingemiſceret: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum.* Ac neceſſarium fuerit, vnus de Seraphim aduolaret, & ignito calculo ſumpto de altari Dei, labia eius cauteriaret, adureret, atque purificaret. Ad hoc, ſupponit propheta hoc eo contigiſſe tempore & anno, quo mortuus eſt Rex Ozias: *In anno quo mortuus eſt Rex Ozias.* Indubie, reſpondet D. Hieronymus, fuiſſe debuit ob aliquod concernens Regem Oziam. Et verum eſt; Tempore namque Regis huius, ſocordia in labijs ſuis propheta laborabat. Quæ hæc? Non diſputemus quanta fuerit, certum etenim eſt (inquit D. Hieronymus) quod in viro tot meritis conſpicuo, graue non fuerit delictum, & cum tantum de labiorum queratur immunditia, hoc eſt, quòd illa tantum habuerit ſordida, ſicut Apoſtoli Domini tantummodo pedes ſuos, quos ſolos proinde Saluator lauit. Fuit autem hic caſus, ex opinione D. Hieron. (de quo modò nihil certi definimus) Quod Regem Oziam, in temeratiam prolapſum ſuperbiam, dum ſibi Sacerdotum arrogat officium, & incenſum Deo offerre præſumit, propheta non corripuerit, ſed labia ſua ſilentiarius compreſſerit, non redarguerit, non ſe conſtanter oppoſuerit, ſuam regi demonſtrans illicitam eſſe prætenſionem: *Quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem, non corripuerat, nec iuxta Eliæ exemplum, libera voce impium deſignarat, labia habet immunda.* Cœlorum Domine, cum ſit Rex Ozias, qui peccato laborat ſuperbiæ in capite, in fronte rugoſa, ac temeraria, ſuadet æquitas, vt immundus puniatur, ſicut de facto lepra fœdiſſima in fronte conſperſus apparuit, quo totus euaſit execrandus; at, quòd vates humilis, labijs ſordidus appareat; qui ſe furenti ſuperbi regis ſubducit arrogantiæ, quod hoc? Sic eſt, nam non tantum ob propria, qui peccat, ſcelera, leprâ fœdiſſimâ conſpergitur, ſed & tu quoque, niſi illum corripueris, niſi quantum debes, eius ſaluti conſulueris. Peccatum eſt, & labiorum immundities, quam iuſtum eſt, coram Deo lugeas, conteras, & cum eodem propheta ingemiſcas: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum.*

*Iſai.6.1.*

IV. Quæ fuerit Iſaiæ labiorum immunditia.

*2. Paral. cap. 26.*

D. Hier. *l. 2. aduerſ. Pelagia. non longe ante finem.* Tom. 2.

Hunc eundem locum expendit D. Gregor. argumentum hoc varijs S. Scripturæ locis proſecutus; illam præſertim adducens maledictionem per prophetam Hieremiam à Deo comminatam: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Sanguis peccatum exprimit, & gladius correptionem. Maledicat tibi Deus, ſi gladium non euaginas peccatum intuens, vt illud

*3. p. Paſtor. c. 1. admo. 26.* *Hier. 48.*

V. Gladius à ſanguine non prohibẽdus.

Act. 20. 26. Pſ. 39. 10.

illud amputes. Ea de cauſa, proteſtatus eſt D. Paulus, quod in hoc minimè deliquiſſet: *Conteſtor vos, quoniam mundus ſum à ſanguine omnium veſtrum; non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem, omne conſilium Dei vobis.* Hoc idem fecerat & Dauid: *Labia mea non prohibebo.* Hoc Moyſes indicauit, ijs præcipiens qui ex parte Dei eſſent, gladio manus apponerent, & de porta ad portam per mediam turbam ac tabernacula progreſſi, cunctos Deo rebelles, ac idololatras vituli, internecione delerent: quod fuſiùs ibidem proſequitur D. Greg. explanans, quid ſit per media diſcurrere tabernacula, & de porta ad portam incedere; quo declarare voluit omnia genera peccantium, qui nobis occurrent, in omnes à nobis ſtringendus eſt gladius correptionis.

## §. 4. Vade corripe. *Tu ipſe peccantem accede: peccato namque detinetur, ne te conueniat.*

☞ 7 Ho. 44. in 1. ad Corinth.

HVic porro rationi, nunc noui (loquitur D. Chryſoſt.) quid mihi replices, quod ſi quidem tenearis auxiliari fratri tuo, quando per ſe non poteſt, non tamen quando ad manum paratum habet ipſe remedium, ac ſumere poteſt quotieſcumque libuerit. Famet alter, non ego panem illi teneor erogare, ſi domi paratum ita habeat ad manum, vt tantummodo volens illum, habeat. Non obligor illi ſuccurrere, qui ſe ſponte propria deijcit in terram, & in ea iacet, quia ſic ſedet animo, ac ſeipſum valet, quandocumque voluerit, erigere. Peccati peccator obruitur neceſſitate: quia ſic illi placet, ipſe ſe vltroneus illi ingeſſit, libero quoque pollet arbitrio, peccato, quotieſcumque placuerit egrediendi. Si vigeat intellectu, quo ſtatum ſuum poteſt ipſe cognoſcere peruerſum, quid opus illi eſt, vt illum ei demonſtrem apertiùs? Si manum poteſt adhibere remedio, quotieſcumque libuerit, quo ego vinculo conſtringor, illi remedium applicandi? Eius eſt imputandum culpæ, quod neceſſitate langueat; illam etenim ipſe concupiſcit. Hic licet intueri (monet D. Chryſoſt.) quid operetur peccatum: vtique peccantem excæcat, eiuſque obnubilat intellectus oculos ſic vt non videat, aut ſuum non aduertat malum, aut periculum non conſideret.

I. Peccatū intellectum obfuſcat.

Clariſſima fulget ſol iſte luce, (ſic D. Chryſoſt.) qua totum illuminet mundum, at extra ſurſum exurgunt vapores, adeo denſi, atque obſcuri, vt lucem hanc obſcurent, maneatque mundus, velut ſpiſſis immerſus tenebris. Hominis intellectus, ſol eſt lucidiſſimus, qui totum illuſtrat hominem, attamen ex carnis, noſtræ terræ, vapores exhalantur appetituum atque concupiſcentiarum, quibus lux illa contenebretur, ita vt homo quaſi denſiſſimis tenebris inuoluatur ſic, vt ſuum non videat damnum, non attendat periculum, miſeriamque non conſideret. Hoc velim perpendas (inquit) in Dauide. Quam ſol radians eius intellectus, diuinæ gratiæ lumine colluſtratus, quo ſecreta quælibet, diuinæ ſapientiæ arcana lynceus penetrabat: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Quam perſpicaci valebat oculo: *Sicut lux auroræ oriente ſole mane abſque nubibus rutilat.* Fatebatur ipſe de ſe, quod quidquid ſui prædeceſſores intellexerant, ipſe ſapientiùs intelligeret: *Super ſenes intellexi.* Verumtamen vapor quidam carnalis exſurrexit voluptatis, motus ille luxurioſæ concupiſcentiæ, dum venuſtatem corporis Bethſabeæ contemplatur, heu curioſus nimis. Et quales inde tenebræ? Tam craſſæ, vt nec videret, nec aduerteret, nec conſideraret, & nihilominus cum totus obloqueretur populus, imo & exteræ nationes Deum Iſraël calumniarentur, quod adeo nefanda patiens perferret à rege quem ipſe in thronum propria exalterat auctoritate, ipſe tamen omnium velut inſcius quietus reſidet, nec videt, quaſi nihil horum quidquam eſſet, velut qui ventorum agitatus tempeſtate, nauſeam contrahit marinam, obdormitque Lethargicus: *Dauide quid erat conſpicatius magis? Vt qui dicit:* Ignota *& occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Sed quod ſæuiente mari nauigantes patiuntur, veriſimile eſt, hunc quoque paſſum. Hinc vniuerſa ſapientia eius exhauſta eſt, & ait. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Ipſe quoque alio pſalmo ait: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Captiuum me duxerunt iniquitates meæ, viſum mihi oculoſque effoderunt, vt videre non poſſim. Non potuiſti? Tabine peccatum liberum abſtulit arbitrium? Num hebetauit intellectum? Minime; veruntamen meæ libertatem voluntatis debilitauit, intellectus mei lucem obſcurauit, ita vt indiguerim auxilio; mihi opus fuerit alieno ſubſidio, quærere debuerim qui manum, quò ſurgerem, exporrigeret, qui lucernam oculis meis, qua me ipſum viderem accenderet clariorem. Hoc Nathan egit, vulgari illa parabola, quam Dauidi propoſuit, quam velut lampadem coram illo lucidiſſimam accendebat. Quid rerum feciſſet Dauid, licet etiam Dauid, inquit D. Chryſoſt. Si Nathan non accur-

Hom. 44. Pſ. 50. 8. 2. Reg. 23. Pſ. 118. 100.

II. Dauid peccati oscitantia. D. Chryſ. Ho. de pœnitentia. Pſ. 39.

accurriſſet illum correpturus, illuminaturus, excitaturus?

Optimè dixit D. Iacobus quòd quoties ab appetitu carnali, atque concupiſcentia homo tentatur, illum ita abſtrahit, & illicit, quaſi extra ſe raperet, vt alias de Samſone diximus, fallacibus Dalilæ blanditijs dementato: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus & illectus.* Quas tales ineptias, quæ talia ludicra ſtultus gyrgatho concluſus excitat, qualia peccator? indigna auditu, incompoſita, qualia laſciuiæ deditus? Tu ipſe iam peccato egreſſus, & effreni mentis paſſione ſolutus, quà tenebaris, ais, vbinam, Domine, fuerim quidue cogitauerim neſcio. En quam obcœcatum talis me detinuit, mei compos non eram. Idcirco S. Scriptura illa tam vulgari, vtitur phraſi, quâ dicit excordes eſſe peccatores: *Ephraim ſeducta non habens cor* &c. *neſciuit.* &c. *ignorauit.* Dicitque madidos non ab vuarum vino, ſed ſuis inebriatos delicijs, vt Iſaias loquitur animæ peccatrici: *Paupercula, ebria, non à vino.* Idcirco indigent auxilio, & vt alius quiſpiam, illos cubito percutiat, quo expergefiant, videant periculum, carcerem attendant, & quod in ambas dormiant aures, agatque ille quod Angelus D. Petro: *Qui percuſſo latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter.* Nauis gubernator, in qua Ionas tam profundo premebatur ſomno, vt, non obſtante naufragij periculo adeo manifeſto non aduerteret, percuſſo grauiter latere Ionam expergefecit, inclamans: *Surgè & inuoca Deum tuum.*

8 [margin: Iacob.1.14.]

[margin: III. Peccator quaſi ſomno opprimitur lethargico. Oſe.7.11. Iſa.51.21.] [margin: Act.12.7.]

[margin: Ion.1.6.] D. Chryſoſt. in argumentum adducit Moyſen. Erat hic omnium, quos mundus alebat, in omni ſcientiarum naturalium genere ſapientiſſimus: *Erat Moyſes eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum.* Inſupernaturalibus autem, omnium erat adeptus lauream doctoratus, ab ipſo Deo præceptore inſtructus. *Erat in externa philoſophia bene inſtitutus, & non minus ſpiritualium intelligentiâ inſignis. Erat autem potens in verbo, & opera, alijſque virtutibus.* Commiſſum curæ ſuæ regebat populum adeo multum, vt virorum barbatorum ad ſexcenta millia numerarentur, hos omnes gubernabat eorum per deſerta anteſignanus. Die quodam tantum excitarunt tumultum, vt inops conſilij menteque turbatus deficeret, videns ſe his non poſſe ſatisfacere, & quaſi rationis impotens, inutiliter ſeſe fatigabat. Acceſſit ea tempeſtate ſocer eius Iethro: *Homo barbarus, & obſcurus, quique in ſolitudine vitam egerat.* Qui ſic Moyſi: Multum aberras à ſcopo, Moyſes, inordinatus eſt ille modus agendi: *Stulto labore conſumeris, tu & populus;* etenim in eo quod agis teipſum exhauris, nocesque populo non leuiter. Attende, alio namque modo, res vtilius expedietur, datque conſilium, id declarans, quod ſibi foret in commodum vtriuſque faciendum: *Ille barbarus, ille inſcius, ille inſipiens, vbi vidit Moyſen quædam contra dignitatem facere, cum correxit, non curans quod ſapiens eſſet, & intelligens, iunxitque conſilio increpationem:* dixit enim illum redarguens: *Stulto labore conſumeris.* Tibi mortis diem acceleras? Quomodo igitur, forte plura vidit, plura ſciuit quàm Moyſes? Acutiori pollebat ingenio? Non pollebat; at Moyſen turbauit tumultus ille, populique ſeditio, vt illi foret neceſſarium, alius accederet eum illuminaturus, docturus ea, quæ ipſe ſcientiâ licet longè ſuperior, non aduertebat. Si autem hoc Moyſes eſt paſſus ob tumultum, confuſionem, populique ſeditionem: quid futurum in peccatore cenſebimus, ob paſſionum ſuarum tumultum, populi clamores, carnis motus, mundique tentationes? Omnino illi expedit vt aduertas, moneas, illum illumines, dicaſque: *Stulto labore conſumeris.* Attende, precor, chariſſime, tibi proſpice, imprudenter tuas perdis fortunas, honorem exponis famæ derogas, & quod omnium maximum, miſerè dilapidas animam.

[margin: Act.7.22.] [margin: D. CHRY. Ho. de ferend. reprehenſ. Tom.3.] [margin: Exo.1.18.] [margin: VI. Moyſes à Iethro corripitur.] [margin: D. CHRY. Hom. de ferend. reprehenſ. Tom.3.]

## §. 5 Vade. *Conuenit, vt tu peccatorem conuenias, vt medicus lethargicum.*

EX his alteri reſpondetur dubio, quod tibi forſitan occurret, circa Domini præceptum, quod ſi videris fratrem tuum labi in peccatum, accurras ocyus, lapſum erigas, errantem corripias? *Vade corripe.* Numquid mihi incumbit Domine, illum vbinam ſit, inquirere? Non teneor venari pauperes extrema laborantes inopia, quibus erogem eleemoſynam: veniant ad me: non enim diues & crudelis accuſatur epulo, quòd Lazarum mendicum, & victûs inopiâ pereuntem, non quæſierit, ſed accedentem Lazarum, oſtium eius pulſantem, ſtipem mendicantem, repulerit, non dederit immiſericors. Attamen appoſitè Saluator noſter præcipit: *Vade* ad illum, illum inquire, niſi enim ad illum acceſſeris, illumque indagaueris, non ille te conueniet, non ille te inueſtigabit. 9

Propoſito noſtro congruè perpendit Theodoretus diſcrimen quod inter corporis & animæ latet infirmitates. Corporis namque infirmitates te premunt inuitum: vnde tibi dolorem inferunt, [margin: *Lib.1. de curandis Græco. affect.*]



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I.
Diſcrimē inter corporis & animæ morbos.

& ipſe tu eis curandis adhibes remedium, adſciſcis medicum, quæris, & inſtas, ad tuas deducis ædes, magna voluptate, magna capis attentione, quæ ab illo tibi dicūtur; licet autem vnā tibi ſeu alterā amaram præſcribat purgationem, cauteria, ſanguinis extractionem, quinimo brachij quandoque ſeu pedis mutilationem, placet ille tibi, cui, poſtquam te varijs exercuit cruciatibus, non modico in aſſem gaudio ſatis facis, & parum eſſe cenſes, quidquid in gratiam eius expenderis nec non te illi perpetuo iudicas vinculo conſtrictum, ob curatam ab illo tuam infirmitatem. At animæ morbi peccata ſcilicet, te ſubeunt conſentiente, tu illis te tua voluptate, & animo ingeris deliberato: notam etenim vobis propono D. Auguſt. ſententiam, quam S. ſequitur Theologia: *Peccatum adeo eſt voluntarium, quod ſi non eſt voluntarium, non eſt peccatum.* Hinc non illæ te grauiter infirmitates affligunt, imo his delectaris, his non modicè gaudes, his inhærere tu quoque non recuſas. Idcirco, nedum qui te curet inueſtigas, inſuper & ab illo longiùs refugis.

Iob 20. 12.

Hoc Iob indicauit: *Cum dulce fuerit in ore eius, malum, abſcondet illud ſub lingua ſua.* grataque illi ſua eſt peruerſitas, vnde & illam abſcondit, ne quis illam ſibi auferat, aut vllum ponat impedimentum. Mutuat à puella metaphoram, cui nihil ſapit dulciùs, quàm terram, vel fragmina cretæ comedere, quia verò nouit, quod ſi tale quid innoteſceret, illico fore ſibi ex ore ſurripiendum, fruſtum illud cretæ ſub lingua contegit, vt nemo illam hoc notet comedentem ſicque illo ſe recreat ad ſatietatem. Ita vt corporis infirmitatibus curam impendas ſedulam, eo quod tibi non modicum adferant dolorem, affligant, & premant arctiùs, & idcirco tu quæris ipſe medicos, qui te in priſtinam releuent valetudinem. Quocirca quando tales illæ ſunt, vt tibi non ſint moleſtæ, non tædium adferant, parum eſt quod earum non ſtudeas remedio, nec es de quærendo medico ſollicitus, inſuper & potiùs delectaris, & hunc exhorreſcis. Res patet exemplo, (inquit D. Auguſt.) Lethar-

II.
Similitudo.

gici ſeu phrenetici, nec non in morbis, qui caput perturbant, quod eſt hominis arx principalior: Turbatur alteri caput (inquit) ſomno opprimitur profundiſſimo, quo paulatim tendit ad extrema, ne verearis, quod ille quærat excitatorem: oppreſſus enim capitis vaporibus, ſe ſomno tantummodo putat recreari. Quinimo contingit aliquoties vt patre ſomno lethargico grauato, filius accedat, qui patrem amat quàm tenerrimè, quem proinde excitat, eius brachia attrahit, pulſum vellicat arteriarum, ſtrictis tibias coarctat vinculis, pater autem ſomno vltra vires grauatus ſtomachatur, filium à ſe repellit indignans, ait: diſcedito, quieſcam. Pater mi, profundus ille te ſomnus occidit. Apage, nihil facio. Fatentur omnes, quòd in illo caſu medicus accedere debet infirmum, applicare remedia, licet illi moleſta, repugnet licet ægrotus; quod ſi non faceret, peſſimè faceret: ſi namque medicus ægrotum non quæreret illum curaturus, infirmus numquam medicum accerſeret ab illo curandus, imo illum potiùs exhorreſcit, & optat vt vadat ipſe vias ſuas.

Quod eſſe iudicas peccatoris ægritudinem? Phreneſis lethargica, qua grauiter nimis opprimitur, qua miſero ſenſus inuertuntur; paſſionum enim malorumque affectuum vaporibus ſurſum ad caput aſcendentibus, velut phreneticus inſoleſcit, ſibique perſuadet, quòd permanens in

II. Peccatū morbū eſſe lethargicū.

peccato, nedum non malus ſit, & infirmus: ſed potiùs hoc eum delectat; hoc placet, in eo ſuauiter obdormiſcit, nec tam ægrè fert morbo preſſus lethargico, quòd à ſomno expergiſcat. Quàm fert moleſtè libidinoſus, carnalis, auarus, & quilibet alius peccator, quòd ab alijs excitetur, ſibique ſuum indicetur periculum, animæque detrimentum. Si ergo phrenetico, pariter & lethargico ſuccurrere tenearis, teque illum accedere, debeas ſaluti eius proſpecturus, eo quod ſuam non ſentiat ipſe ægritudinem, quinimo ſomno delectetur; & licet acriùs doleat, illum tamen excitas, cum hic nullum aliud ſit præter ſanitatis vitæque damnum ſed nec vt omnino quidem: at non niſi vt illam ad paucas extendas horas, quantò magis, (infert D. Auguſt.) tibi incumbit auxiliari, excitare peccatorē, illi vellicare pulſus, conſtrictis premere funibus reprehenſionis, ac correptionis; cum in hoc vita eius ſpiritualis æternaque periclitetur: *Patrem* (verba ſunt hæc D. Aug.) *ſomnus noxius premit, qui & noxius eſt, dulcis eſt: filius autem eius, admonitus à medico, ſtat ſollicitus patri, moleſtus pulſat, & ſi pulſatio eius vincitur, vellicat & ſi vellicatio nihil agit, pungit. Certè moleſtus eſt patri, & eſſet impius, niſi moleſtus eſſet. At ille quem delectat mori, moleſtum ſibi filium vtſi aſpectu, & voce reuerberat: quieſce quid mihi moleſtus es? ſed medicus, inquit, ait, quia ſi dormieris mors eris. Et ille, dimitte me, mori volo. Senex dicit, mori volo, & puer impius eſt, ſi non dicat; ego nolo. Et illa vita vtique tēporalis eſt, & tamen impij ſunt, niſi ipſum etiam, cum ipſi moleſti ſunt conſulant.*

Proſequitur hoc argumentum: *Moleſtus eſt medicus furenti &c.* Opinor, inquit, quòd dum intelli-

Epiſt. 50. ad Boni-facium Comit. Ioan. 11. 11. intelligis, quempiam peccati ſomno grauari, di-cas illud, quod Chriſtus de Lazaro: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem illum*, quia ſicut, niſi Saluator ipſe acceſſiſſet ad Lazarum reſuſcitaturus, numquam Lazarus ipſe in reſuſcitandus adiret, ita quoque, ſi tu non adeas peccatorem, illum reſuſcitaturus numquam ipſe te conueniet ſuſcitandus: *Vado*, inquit Chriſtus. Cum Dauid talis eſſet qualis erat, quid egiſſet ſi propheta Nathan non illum adijſſet, admoniturus? Ita titulum Pſalmo ſuo præfigit pœnitentiali: *Pſalmus Dauid, quando iuit ad eum Nathan propheta.* Pſal. 50. Dauidem Nathan adijt, & propoſita ſimilitudine excitauit. Hoc tui eſt muneris, quinimo & hoc Redemptor noſter indicauit, quando præceptum hoc conditurus, ouis perditæ præmiſit parabolam, quam vt paſtor erraniem reduceret, non exſpectauit, donec illa paſtorem quæreret, eſt enim animal incurium, & niſi illam paſtor ſedulus inquirat, numquam illa ad paſtorem occurret reducenda. Hoc quoque Dauid à Deo, ob eandem rogabat rationem: *Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære ſeruum tuum.* Pſal. 118. 97. Hoc tibi quoque præſtandum, quem Deus fratris tui voluit eſſe paſtorem: Eccl. 17. 12. *Mandauit illis vnicuique Deus de proximo ſuo. Vade corripe.*

## §. 6. In te. *In te eſt alterius peccatum, tibique nocet, vt Saulis, & Achan peccata.*

11 CVm ſit igitur præceptum hoc à Deo obligatorium, illud explicemus, quatenus & qua ſit à nobis ratione complendum, videamus: *Si peccauerit in te, frater tuus, vade, & corripe eum.* Quomodo, tum tantum corripiendus, quando peccat in me? De peccatis omnibus eſt à te corripiendus. Quomodo ergo dicit: *Si peccauerit in te?* Communis explicatio eſt illa D. Auguſt. quem Princeps ſequitur Theologiæ D. Thom. quòd hoc verbum (*Contra te*) ſignificet, (*Coram te*) Phraſi namque Hebraica, contra aliquem id eſſe dicitur quod coram illo eſt, ac in eius conſpectu. Ita cum Chriſtus ait Apoſtolis: *Ite in caſtellum, quod contra vos eſt*: perinde eſt ac ſi dicat quod *Coram vobis eſt.* Bona eſt hæc interpretatio verumtamen addo, quod illa formula loquendi nobis Saluator cœleſtia præ legere intenderit documenta, quorum vnum non minoris momenti hoc eſt, vt intelligas quòd quæcunque proximus committi ſcelera, ſint in te, ſeu contra te hæc omnia. Et hoc duabus de cauſis? prima eſt communis, quam SS. Patres aduertunt in illud; *Domine, non eſt exaltatum*; nominatim autem D. Auguſtin. quia ſicut diximus, de corpore naturali procedendum eſt ad corpus myſticum. Hoc eleganter prolat D. Chryſoſt. Notat hic D. Chryſoſto. quòd Apoſtolus acriter obiurget Corinthios quod cum inceſtuoſus hic turpiter deliquiſſet, qui inter illos morabatur, nullum alicuius mœroris ſignum oſtendiſſent: quod tãtum illis conatur hac epiſtola perſuadere, hoc eſt, vt deplorent viri peccatum, vt ſe dolore conficiant tantum videntes committi ſcandalum. Quid hoc expedit. (quærit D. Chryſoſto.) peccauit alter, & ego eius debeo deflere peccatum? Gemat ipſe, tantorum criminis reus, ipſe conteratur, ipſe pœnitentiæ lamenta ſuſcipiat: cũ etenim eius fuerit actus proprius, offenſa qua Deo iniuriam irrogauit, ſit quoque eius actus proprius, ſcelerum ſuorum verus dolor, & integra per contritionem ſatisfactio. Non diffiteor, inquit D. Chryſoſt. expedit vt ipſe doleat, attamen tu quoque in contritione lumborum tuorum ingemiſce, & tantò magis, quanto lucidiores habueris oculos, qui videre poſſint rationem, quare tibi ſit, altero peccante, contriſtandum. Vtique ſcire debes, cum ſit Dei offenſa, peccatũ illud, tui quoque cenſeatur offenſa. Coniuncti namque ſumus omnes, velut vnius corporis membra, & damnum quod infertur vni membro, cætera ſentiunt omnia, quaſi proprium, eſtque omnibus commune membris periculum: idcirco debent illud omnia ſentire, conarique ſe quàm primùm illo liberare.

Peccatũ lepra eſt, quæ totum inficit corpus: ignis eſt, qui totum inflammat, & cum vnum apprehenderit damnum, illud dolere debẽt omnes, & omnium eſt illud curare. Secundò: debent illud omnes deuitare, quod enim in aliquẽ committitur patremfamilias, in omnes committitur domeſticos, omnes namque damni ſunt illius participes, quòd paterfamilias ſuſtinet. Et idcirco dicebat Apoſtolus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Etenim arbitrabatur, infirmitatem peccati ſuper omnia ſibi eſſe formidandam: & ſicut peccatum, offenſa eſt facta Deo quã Dominus eſt & præcipuus pater familias, quod & illum omneſque domeſticos damna deberent apprehendere, quæ hanc ſequuntur infirmitatem. Notat Apoſtolus Petrus, quod vir Sanctus Lot inter peſſimos Deoque execrandos commoratus Sodomitas extra modum affligeretur, & quaſi cor ſibi ſentiret ſuffocari: *Et iuſtum Lot oppreſſum*

[Marginalia, left column: Rom. 16. de verbis Domini. 2. 2. q. 32. a. 7. Matt. 21. 2. — I. Duabus de cauſis dicitur proximi peccatũ eſſe in te. Prima.]

[Marginalia, right column: Pſal. 130. 1. — Hom. in illud 1. Cor. 5. 2. Et non magis luctum habuiſtis. — II. Ratio ſecunda: quia Deus eſt pater noſter. — 2. Cor. 11. 29.]

2.Pet. 2.7. „ *oppreſſum, à nefandorũ iniuria ac luxurioſa conuerſatione.* Cum enim attentiùs animo reuolueret Deum tam enormibus ſceleribus offenſum, qualia nefarij homines in omnem libidinẽ effuſi committebant, ſibi propriam deputabat moleſtiam, timebatque, ne ad omnes hæc damna deuenirent, quæ ex his debebant emanare ſceleribus. Exploratum eſt, id quòd contra corporis naturalis vnam committitur partem, contra omnes committi; & omnes quod vni infertur, ſibi proprium eſſe damnum arbitrantur. Inflige tibiæ, ſeu collo tuo vulnus, omnes reliquæ partes eius ſtudent diligenter remedio: nam ſi illud negligerent, fieri poſſet vt malum illud omnes inuaderet, & igne pedem exurente, partes aliæ eodem corripiuntur igne, pereunt, omneſque tandem emoriuntur. Nihil in S. Scriptura frequentiùs, quàm ob vnius de populo peccatum, in reliquos idem venire ſupplicium.

12 De hoc diſputat D. Aug. quærens quæ ſubſit ratio, cur vno peccante in multos Dei vindicta deſæuiat? qua laborant culpa alij ex eo quod alter commiſit? ſi peccet ille, puniatur ille, verũtamen ſi non deliquer ntilli, cur vt illi pereunt? Ratio ſit hæc: eo quod vnum omnes corpus cõponant myſticum, ſimile naturali; & ſicut in hoc damnum, ſeu fiſtula, ſeu ſpina, pedi intorta ſeu manui, ſi reliquæ continuò non adſint, partis vulnus curaturæ, in damnum cedat, totamque earum perditionem: ita & in myſtico. Et inde vos vult (inquit) Dominus reddere ſollicitos, quo peccata in alijs notata corripiatis, quod ſi minimè feceritis, vos pœna comprehendet: idcirco aliorum peccata in vos commiſſa eſſe iudicantur. Hanc ob cauſam D. Luc. hoc enarrans Domini noſtri præceptum, ait, quod velut principiũ illam præmiſerit admonitionem: *Attendite vobis, ſi peccauerit in te frater tuus.* Vobis proſpicite, veſtroque damno conſulite. Quid hoc Domine, num meum eſt detrimentum, num mea iactura, quod alter aut peccet, aut de peccato reſiliat? Vtique permagna; ſi namque proximi non ſtudueris ſceleris emendationi: eadem te pœna complectetur. Ob vnum crimen à Saule commiſſum, iuramenti tranſgreſſionem quod multis præteritis annis dederat Ioſue Gabaonitis, vniuerſus populus adeo generali fame puniebatur, vt per trienniũ nec aquæ gutta cœlo deciderit: conſulens enim Dominum Dauid, cauſamque tantæ requirens ſterilitatis, à Domino hoc retulit reſponſum: *Propter Saul, quia occidit Gabaonitas.* Et donec integra fieret de hoc peccato ſatisfactio, atque illi plecterentur, ad quos hæc noxa pertingebat, luebat vniuerſus populus. Ob vnum Dauidis crimen, quo ſuperbus, & elatus nimis totiùs populi luſtrum iniri præceperat, ſanguineam adeo Deus in populum miſit peſtilentiam, vt ſex horarũ ſpatio à mane vſque meridiem ſeptuaginta plebis millia peſte deperirent. Ob vnã Ionæ refragam inobedientiã cuius Ionæ 1. ipſe ſolus ſibi conſcius erat nauis, & qui ea vehebantur omnes, ſæua iactantur adeo tempeſtate, quanta notũ eſt omnibus. Singularẽ omnino deſcribit Spiritus S. Hiſtoriam lib. Ioſue quam vt talẽ expendunt D. Baſil. ac D. Augu. Præceperat Dominus Ioſue, vt maledictam illam vrbem Hiericho flammis deuoueret exurendam eoque modo totã traderet ignibus, vt nec atomus eorũ, quæ illa continebantur illæſus saluuſque ſuperesſet: cum hoc Domini præceptum ſedulus exequitur: ecce gregarius miles Achan nomine, laminam vidit auream, palliumque coccineum, quæ cuncta de domo ſurripiens latenter abſcondit. Hic Deus incandeſcit adeo ferox in populũ, vt dolenda ab hoſtibus clade vinceretur, multique per arua cæſi deſiderarentur. Ad Deum Ioſue confugit. Quid hoc rei, quid cladis Domine? quæ hæc tam inexpectata duraque populi ſtrages? non eſt quod mireris, reſpondet Dominus: *Anathema in medio tui o Iſrael*, vnus me grauiter offendit, aliquid de Hiericho, præcepti tranſgreſſor, ſuffuratus eſt. Quis ille Domine? mitte ſortes, & furem deteges, debitumque mortis perſoluat ille ſuppliciũ. Et factũ eſt ita.

Lib. 2. de Ciuit. c. 9. & lib. qq. in Ioſue.

III. Cur vno peccante multi luant.

Luc. 17. 3.

2. Reg. 21. & 1. Par. 21.

Ioſue 6. 7. Baſil. L. qq. 4. in Ioſue.

Ioſue 7. 13.

Prodeunt prædicti SS. Patres, quæruntque, quæ hæc tua Domine iuſtitia? delinquit Achan, & ſæuè nimis in populum animaduertis. Inſuper, erat peccatum Achan adeo ſecretum, vt ſi tu ipſe illud non indicaſſes, ſciri omnino non poſſet. Cur igitur ſic extra morẽ plectis populũ, huius ſceleris ignorantẽ, abſit conſentientẽ? Vult vobis intimare Deus, (reſpondent illi) quàm ſtricto vos velit cohærere vinculo, quàm vnum de altero eſſe ſollicitum, crimen etenim vnius ab omnibus vindex requiret, & per hoc quàm excitatos, vt ſaltem in proprium veſtrum lucrũ, peccatis alienis ſalutare ſtudeatis adhibere remedium. Adeſt D. Baſil. *Quando Achan furatus* D. Baſil. *eſt regulam illam auream, & indumentum illud,* Reſpõſ. *populus delictum, & delicti auctorem ignorabat,* 47. *vſque dum ipſe Dei iudicio manifeſte deprehenſus fuit; & horribile illud vna cum ſuis omnibus exitũ ſubiuit.* Tu conijce, (monet) quid tecum ſit acturus, qui vides, qui noſti, qui fratris tui peccata diſſimulas, imo & in iocũ riſumque cõuertis, ſpargis in publicum, nec pluris facis damnũ, quàm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quam ſi tua nihil intereſſet: *Si ergo aduerſus eos, qui ſceleris auctoris conſcij non fuerant, Dei vehemens ira adeo exarſit, quid de ijs dicendum eſt, qui & conſcij ſunt, & tacentes diſſimulant?* Si flammã (argumentatur D. Chryſoſt.) domũ videris corripientem, longe licet à tua diſſitam, toto cum cæteris accurris molimine, flammã extincturus, ex illa ſaltem parte, qua tuæ damnum domui poteſt imminere: ſi virum noueris peſte contagioſum, qui poſſit & alios eadem lue inficere, ſedulo laboras ſtudio eius curationi, ne te quoque lues inuadat contagioſa: quantò magis ſi videris, quòd ignis peccati proximi tui corripiat animam, & peſtem illam deprehendes, quæ tanto poteſt omnibus eſſe nocumento: *Domo ardente* (loquitur ipſe) *qui non læditur vniuerſa facit, quæ poteſt, nè ignis domum propriam diſſipet.*

D. Chr. Ho. 10. de pænit. Tom. 5.

Hinc anxia decem tribuum prodibat illa ſollicitudo: cum enim tribus Gad & Ruben vltra Iordanem in terra ſua altare erexiſſent, in vnum decem aliæ conuenerunt, & magna cautione ſibi perſuadentes hoc in Dei iniuriam erectum fuiſſe altare, ſuos confeſtim decẽ Principes miſerunt legatos, vt tanto occurrerent damno, qui illuc cum appuliſſent, dixerunt. Quid hoc rerũ agitis in Dei contemptum, altare erigentes particulare? Huic tanto ſceleri iudicamus nobis nõ eſſe conſentiendum. Quod ſi objiciatis, quid ad vos, ſi in terra noſtra quod animo libuerit, faciamus: reſpondemus, hanc non admitti rationem: peccatum enim veſtrum, nedum vobis, ſed & nobis maximũ cedet in detrimentum. An eius vobis non remanet memoria, quod tam grauiter Dominũ in Beelphegor offendiſtis & in nos iuſta eius ira deſæuijt: *An parum vobis eſt, quod peccaſtis in Beelphegor, & vſque in præſentẽ diem macula huius ſceleris in nobis permanet, multique de populo corruerunt.* An obliti eſtis eius quod Achan contigit in Hiericho: *Nonne Achan filius Zare præterijt mandatum Domini, & ſuper omnẽ populum Iſrael, ira eius incubuit? & ille erat vnus homo, atque vtinam ſolus perijſſet in ſcelere ſuo.* Vtinam hoc Deo placuiſſet vt cum illius eſſet ſolius culpa, fuiſſet ſolius & pœna: *Solus periiſſet in ſcelere ſuo*, ſi peccatũ fuerit vnius ſolius, quomodo pœna inuoluit & alios: quia eiuſdẽ corporis pars erat, & licet tantummodo pes ſit, qui ſpina configitur, omnes tamen partes dolorem ſentiunt niſi confeſtim eius omnes prouideant ſanitati.

Ioſue cap. 22. 19.

Hinc optimè fundata manauit illi D. Pauli correptio & comminatio facta Corinthijs, quam ſæpe ſæpiùs ad hanc rem expendit D. Chryſoſt. Viuebat quidam Corinthi corruptis moribus, & perdito luxu ſcortator impurus ac inceſtuoſus, cuius cum peccatum, ad notitiam veniſſet plurimorum, vrbis ciuium, parum eſt, quòd eius non proſpicerent correctioni, inſuper & nefandũ ſcelus in familiarẽ trahebant conuerſationẽ, in riſus argumentum, vulgique ludibrium. O mente deliros, exclamat Apoſtolus: fieri quis poſſe credat, ſcelus hoc nefandum in iocum, riſumque conuertatis: *Sic inflati eſtis, & nõ magis luctum habuiſtis?* Ergone credam, illud à vobis rideri, nec ab omnibus timeri, ab omnibus deplorari? Numquid non attenditis in veſtrum hoc profluere detrimentum: *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit*; Ignoratis quod peccatũ vnius, integram in ruinam trahet ciuitatem, ſicut modicum fermentum totam maſſam corrumpit: *Auferte malum ex vobis ipſis.* Attendite, malum hoc malique ſuppliciũ in vos omnes deuoluetur; & veſtro licet iudicio vnius ſit tantummodo peccatum, commune tamen omnibus erit nocumentum, quod malum eſt: *Auferte malum ex vobis ipſis.* O Paule, (quærit D. Chryſoſtom.) quid dicis: *Alter peccauit & ego plorabo?* Plorabis vtique, ac læſo pede deducunt oculi lachrimas: *In corpore tametſi pes vulnus accipiat, humi declinans caput inclinamus.* Proſpice (monet) locum quippe perdet, niſi confeſtim accurras curaturus: Heu quanta noſtris lugemus damna Rebuſpublicis, quia cauſas minimè conſideramus. Quas non communes patimur ſterilitates? quibus generalibus non grauamur ægritudinibus? quis virium in nobis defectus, ex quo nos truces naſo ſuſpendunt inimici; cauſam indagas, nec inuenis: illam ergo habeto dilucidã. Quoties tibi quod Corinthijs accidit, quòd cum alicuius reſciueris peccatum, illud non ſolum non deploras, ſed rides, ſed iocaris, & nedum peccantem non corripis, ſed nec cogitas quidẽ alteriùs conſulere ſaluti: quid igitur tam acerbas ſtupes calamitates, tam moleſtas deploras aduerſitates? Totum moritur corpus, quia non curatur, nec adhibetur partium damno remedium. Hæc ergo ratio eſt, cur quodcumque patratur crimen, in te commiſſum eſſe perhibeatur, quia in damnum vergit tuum, tibique imputatur ad ſupplicium: ex quo D. Ambr. concinnè diſcurrit, illam expendens hiſtoriam, dum David ſe coram Angelo in terram proſtrauit populum peſte percutiente: exclamans: *Ego ſum qui peccaui.*

*Ho. 15. in 1. ad Corinth. Ho. 10. quæ eſt vltima de pœnite. & Hom. in illud Iſaiæ cap. 6. Vidi Dominum.*

D. Chr.

IV. Eo quod errantes non arguimus à Deo grauiter punimur.

*In Pſ. 118. Serm. 7. in illud: Defectio tenuit me &c.*

*2. Reg. 24. 17.*

§. 7. In te. *Vt Dei filius, velut illi proprias, illius reputes offenſas: ipſe namque tuas, habet ſibi proprias.*

☞ 14 EX alia atque ſecunda dici poteſt ratione, & ſupra modum propriè, quod omnia quæ proximus tuus committit ſcelera, in te committantur, atque vt talia, quinimo magis reputare debeas: hæc etenim eſt D. Chryſoſto. conſideratio & D. Auguſt. multis in locis. Indubitatum eſt etiam, omnia peccata eſſe contra Deum, & eius honorem, ſuntque diuinæ maieſtatis offenſæ. Paſſim notum quòd quicquid in patrem tuum alter deliquerit, ſi te eius legitimum eſſe iactes filium, & qualem eſſe te conuenit, contra te delictum eſſe iudicas, & tibi magis proprium eſſe cenſes, quam illud quod contra te committitur, & quod in dedecus patratur Domini, fidelis hic ſeruus ſibi proprium eſſe arbitratur. Dicito, te obteſtor, ſi nebulonem videres patri tuo colaphum impingentem, quid ageres? qualis conſiſteres? quam velox manum attolleres? quàm ferox vt leo rugires, aut velut taurus mugitus ederes immaniſſimos? ſi quis tibi obiiceret. Attende, quòd te non impetat, non tibi colaphum infringit, quid diceres? hoc habeo moleſtiùs quàm ſi meipſum nebulo percuteret: plùris enim facio & magis mihi propriã, patris quàm meam eſſe ſentio dignitatem. Quis ducem illum nobilem contemplatur Abiſai regi ſuo Dauid comitem indiuiduum, dum cum illo Hieruſalem excedit à facie Abſalon fugitiuus, viditque de montis vertice flagrionẽ illum Semei, iactantem indigna in Dauidem conuitia, lapides pulueremque ſpargentem, totum in Dauid probroſas effuſum in contumelias, in eũ vt leo rugijt, enſem explicat, conuitiorem occiſurus. Quid hoc Abiſai, tua intereſt? quid te hæc lædit contumelia? Non enim te grauat hic mortalium peſſimus, ſed Dauidem inhonorat. Contra me eſt, cum ſit in mei regis infamiam: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius.* Nota verbum: *Domino meo Regi.* Eſt Dauid Dominus meus, Rex meus. A te modo ſciſcitor: nũ Deum, vt patrem tuum, vt Regem tuum, Dominumque habeas legitimum? quotidie, quod primum ore confiteris hoc audio. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Infer igitur quàm animo ferre debeas difficili quæ contra Deum ſcelera committuntur. Fierine poteſt, vt Deum, velut patrem colas amantiſſimum, & oculis conſpicias, quod ille iuramentis illum colaphizet, hic carnalibus dedecoret immundiціjs alius vita ſcriat leuiſſima, & conticẽdo ſubrideas? Hinc luce clariùs patet, quàm tepido Deum amore diligas, quàm flocci pendas nominis eius æſtimationem, & quàm langueat in cordis tui viſceribus affectus, quo in Deum, velut parentem tuum ferri te poſtulat æquitas; cum tam tepidè te, Deum offendentibus, vindex opponas iniuriæ, te quodlibet cohibeat periculum, animo deijciat, linguam vocemque impediat.

*Hom. qua habetur poſt. 1. ad Cor. in illud: Cum autẽ ſubiecta fuerint illi omnia.*

I. Cur illatæ Deo iniuriæ noſtræ ſunt cenſendæ, & à nobis puniendæ.

2. Reg. ca. 16. 9.

Mirabile de ſe quidquã deſcribit vates Hieremias: vt peccata vidit populi quibus non leuẽ Deo irrogabat iniuriam, opponit ſe zelo feruidus, illum animo adeo ſincero reprehendit vt enormem ſibi ciues illatam credentes contumeliã in eũ vnanimes conſurrexerint ſeditioſi, eũque Saſſar templi princeps in neruum miſerit, catenis compedibuſque ſtrinxerit, teterrimoque concluſerit carcere, ſic vt ſibi Propheta ſtatueret eſſe monendum. His timore perculſus, ſecedere ab illis in animum induxit, nec verbum correptionis illis vlteriùs indicare. *Et dixi: non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine Domini.* q. d. qui me ad has compulit anguſtias? vt quid mihi ipſi tantam conquiro mentis perturbationem? conquieſcam: agant quidquid libuerit: ea vix animo conceperat, ecce in ſe reuerſus ait: quas tot offenditur ſceleribus; in quem tot redundant iniuriæ? Numquid non ipſe pater meus Rex meus eſt? An ne mihi patienter tolerandum, vt coram me tam indignis illum modis excipiant, laceſſant conuitijs, & hæc ipſe contuens obmuteſcam? Quòd ego parentem meum alapis cædi videam, & diſſimulem? Hæc in eo feruidum cogitatio zelum excitauit, adeoque potentem ſuccendit ignem vt ferre non ſuſtinens æſtuaret: *Et factus eſt in corde meo, quaſi ignis exæſtuans clauſuſque in oſsibus meis, & defeci ferre non ſuſtinens.* Non ſum qui talia placidè ferã: qui Deo ſuſtineã irrogatas taciturnus iniurias: proinde licet me interficiant, membratimque diuidant tortores, audax corrigam, impios imperterritus arguam ſceleratos: non enim conueniunt, te tuum animæ patrem, quem ſi videris alapis cõtundi, verberibus affligi, videas tamen & conticeſcas: ſi taceas, nec hoc te moueat, manifeſtè declaras, quàm tepidus huius in te patris amoris ignis exardeſcat. O Dauid optimè, optimus hic Dei filius: hecticus etenim languebat, cariem contrahebat triſtis nimis, tam enormia contra Dei honorem videns peccata

Hierem. c. 20. 9.

II. Hieremias ſe tenere non poteſt illatas Deo iniurias, quin corripiat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cata committi: *Vidi præuaricantes & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Quid hoc te Dauid angit, contriſtat? Hoccine mihi obijcis? ſi Deus pater meus eſt, numquid non muneris eſt mei obuiam ire contumelijs, quæ coram oculis eius tantam non veriti maieſtatem, perpetrant impudentes?

Ex his colligo, quàm paucos Deus habeat filios, qui inter nos tales veri nominari poſſint; cum tam paruus ſit eorum numerus, qui dolenter ferant iniurias, contumeliaſque Deo irrogatas; imo & hoc ipſe Deus tam iniquo patitur animo, vt verbis adeo doloroſis ſuas de hoc exponat querelas, vt cordis intima diuidant. Illum deſcribit Iſaias nobiſque ponit ob oculos noſtro loquendi modo, velut vlceratum, & cordis dolore perculſum; noſtro dicamus concipiendi modo, qualis tempore Noë fuiſſe deſcribitur. *Tactus dolore cordis intrinſecus.* Et ſicut tunc temporis exſpirans triſtem quaſi gemitum mentis ſuæ indicem aiebat: *Delebo hominem, quem creaui.* Heu, quam lamentabili conteram hominem ſtrage, opus manuum mearum. Ita propheta audit illum hodie, quaſi mœſta emittentē ſuſpiria &, vociferantē: *Audite cœli & auribus percipe terra:* vos mearum inuoco teſtes querelarum & planctuum. Quid habes Domine mi, quærit propheta? cauſam expone tantæ cordis tui mœſtitiæ: *Filios enutriui & exaltaui, ipſi vero ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognouit.* Meorum, precor audite filiorū ingratitudinem, & quàm iuſta de illis ratione querimonias exponam. Quod fieri poſſit, vt bos vt aſinus Dominum ſuum agnoſcant, & grati ſint beneficijs, quæ illis præſtat & alimento, quod illis tribuit, Iſrael autem, quem mihi adoptaui in filium: *Iſrael meus primogenitus*, me non cognoſcat, me nihili faciat?

Quo melius horum explicem verborū energiam ignoro, quàm D. Petr. Chryſologi diſcurſu, quo perpendit quod in Chriſti Redemptoris noſtri morte contigit & paſſione: quàm primū enim in cruce fuit exaltatus, omnes velle fugere creaturæ, dorſumque vertere videbantur, quaſi demonſtrantes, quòd modeſtè ſubſtinere non poſſent, quòd ipſis ſpectantibus, indignæ adeo contumeliæ creatori ſuo Dominoque inferrentur: *Creatoris iniuriam tota diffugerat creatura.* Incredulus ille populus in ſuum inſurgebat ſeditioſus Dominum, & in tantorum gratitudinem beneficiorum, donorum, ac gratiarum, quibus eum præuenerat, illum intendit perſequi (a) noctu, diuque, nec ab incœpto deſiſtere, donec eum probroſæ crucis patibulo affigeret. Exhorreſco facinus, proditionem deteſtor. Vnanimiter omnes in tam impudens facinus creaturæ conſurgerent, eiuſque arriperent vindictam, cœli fulgura ſuoſque mitterent ignes voraciores, quàm contra vatis Eliæ miſerant contemptores nubes radios & grandinem depluerent terribiliorem, quàm olim in Sodomitas iuſti Lot oppreſſores; terra hiatibus panderetur inſolitis, illoſque deglutiret velocius, quàm pridem Dathan & Abiron contra Moyſen & Aaron obtrectatores tumultuarios à curſu ſuo ſol conquieſceret &, lucem illis indulgens, qui populum hunc perderent inhumanum, aptiùs multò, quàm tempore Ioſue; Luna & ſtellæ ſe haberent vt milites in iniuriarum Domini ſui vindices atrociſſimi, furore longè ſæuiore, quàm dum in acie ſteterunt, vt Dei milites contra Siſaram: Etenim: *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnarunt.*

Attamen Dominus ille qui paſcebatur, qui in remedium, veniamque moriebatur peccatorū, fieri prohibuit, idcirco namque in cruce clauis, in omnium conſpectu creaturarum, corpore velut fonte ſanguine manante, diffractis luxatiſque oſſibus, hoc primum protulit verbum, quo ſuis à Patre veniam deprecabatur inimicis, calumniatoribus: *Pater dimitte illis &c:* eminens conſilium. Nouerat Dominus, inquit D. Hieronym. quòd quam primùm populus ille maledictus tanto Dominum vexaret ſacrilegio, cruci configens illum, in omnium oculis creaturarum, omnes illæ in eum conſpirarent, in tantorum ſcelerum, ac ſui creatoris iniuriarum vindices ſupplicium, ſi poteſtatis illis fræna laxaret. Quapropter hoc primum agit, illas cohibet, inimicis à Patre ſupplicat indulgentiam, inſtat, creaturas Pater contineat, ne de contumelijs ſibi illatis fulminant vindictam, atque in Paſſionis ſuæ exordio, iam capiendus, dum ſe moueret Petrus gladio armatus Chriſti defenſor; eidem præcipit gladium remittat in vaginam, proteſtatus, quod ſi luberet, & Angelis permitteret poteſtatem: momento temporis aduolarent milleni, imo milliones iniuriæ vindicatores: tempore namque regis Ezechiæ vnus ſuffecit Angelus, vt ſub vnius noctis ſpatio centum octoginta quinque millia fortiſſimorum militum deleret exercitus Sennacherib qui caſtra ponere, vrbemque cingere præſumpſerat Hieruſalem, in Deum Deique templum, horrendas euomens blaſphemias:

(a) A ſol y ſombra.

Gen. 6.

III.

VI.

Iud. 5. 30.

V. Sed à Chriſto id facere prohibebátur. Luc. 23. 34.

quid non milliones efficerent Angelorum, ſi contra illos, qui Chriſto manus injiciebant arma ſumpſiſſent? Illos retraxit, non locum, non concedens licentiam: etenim ſi hoc fieri permiſiſſet, mundi non operaretur remedium, nec implerentur Scripturæ prophetarum. Idem in ſuæ paſſionis agit conſummatione, diuina namque ſua oratione diſponit, vt omnes refrœnentur, detineanturque creaturæ, ne contra illos inſurgant vindices, qui Dominum qui Creatorem ſuum grauiter offendebant, proinde, cum illis hoc modo non concedatur, hoc agunt, faciem, ne tales videant iniurias, auertunt, & quantum poſſunt, illas ne videantur, contegunt

VI. Similitudo.

vt optimi Noë filij Sem & Iaphet patris iniuriam contexerunt, quam illi Cham indignus tanto patre filius, irrogarat: motuſque excitant velut eorum qui ſecedunt, & abeunt ſtomachabundi: ſumptâ metaphorâ à vobis, quando coram oculis veſtris aliquid aut dicitur in amici tui, patriſue ignominiam cum tibi vindictam ſumere non permittitur atque offenſori te opponere defenſorem, terga vertis, dicendo; non ſum, qui hanc pacato tolerem animo impudentiam vt coram me, me ſpectante tã indigna patri meo, mihique chariſſimis inferãtur: cum autem illa non queam auertere, non me decet illa vel audire, vel contemplari: lex etenim amicitiæ non patitur, quòd videam ego fieri & dici audiam ego patri meo, amicoque iniurioſa, & manibus ſtem iners complicatis.

☞ 16 D.P. Chry.

Hoc eſt, inquit D. Pet. Chryſolog. quod agunt creaturæ: *Creatoris iniuriam tota diffugerat creatura*, Sic quoque videbis (ait) quod terra ſuis videatur diſcedere velle fundamentis, & tremore concutiatur inſolito, quaſi diſcedere velle ſimulans: *Hinc eſt quod de ſuis ſe deſerentibus fundamentis terra contremuit.* Sol ſuo motu velociſſimus, quem idcirò Salomon vocat ſpiritum, ſe tali ſubtraxit diligentia, vt vbinam eſſet, non videretur: *Sol ne videret, aufugit, Sol obſcuratus eſt.* Dies ſimiliter fulgidiſſimus, terga vertit, & liberum tenebris noctis permiſit ingreſſum: *Dies ne intereſſet, abſceſſit.* Rupes petræ, lapides, quæ fugere non poterant, inter ſe collidebantur, ſe mutuo diſtringunt, coarctant, compungunt, quaſi proteſtati excitato illo ſonitu, quòd cum ſuam non poſſint in Chriſti perſecutores conuertere duritiem, à ſe illam repellant,

VII. In morte Christi omnes

& proiiciant: *Lapides, qui diſcedere non valebant per naturam, ad unum ſcinduntur per vulnus, faciunt tantum ſono, quia voce non poterant, accuſantes.* Hoc creaturæ faciunt inſenſibiles in iniurijs, quæ coram ſe ſuo Domino, ſuo irrogantur Creatori, videntes, quòd ſacrilegus ille populus eum ſuis manibus linguiſque crucifigit: quàm igitur expediet, vt idem agant huius Domini filij intellectu & ratione præditi, quique ſe tam ſtricto vinculo ſupremo illi Patri eſſe ſentiunt obligatos. Hoc eſt, quod dolenter fert, quòd illi, non tantum ad iram non proſiliant zeloſi vindictam iniuriatum, ſed inſuper & ipſi cõſentiant illis, & in ſui non minimum tolerent opprobrium: *Filios enutriui & exaltaui, ipſi vero ſpreuerunt me.* Quid rei foret ſi ſcurræ quidã effrontes Regem ſuum indignè haberent, ſubditique ſui ſuis illum manibus colaphizarent & linguá ſuâ, adſtante filio, conuitiarentur, filio inquam, regnorum herede, ac in illos inſurgerent, Domini ſui dignitatem propugnaturi canes eius ac mancipia, filius interim rideret, in iocos effuſus nec minimum quidem ſignum doloris iræque demonſtrat? Tune filius? non es niſi inimicus, quem meritò pater ſuum abneget eſſe filium. Attende quàm iuſtè contra te Deus expoſtulet. Etenim acerrimè dolent creaturæ inſenſibiles ac irrationales iniurias Deo illatas, tantum quia creaturæ ſunt, Deique opera, & tam euidentia ſuæ dant ſigna triſtitiæ, nec non commouentur, adeoque inauditis percelluntur indicijs, dum ſuum vident irritari, ac crucifigi Creatorem; Tu verò, quem Deus vt ſuum æſtimat filium ac vt talem te Baptiſmatis flumine regenerauit, te ſcriptum habet vt omnium regnorum, ſuarumque heredem diuitiarum, tu inquam aduertens quòd alter, vt dixit Apoſtolus, quantum eſt ex ſe, illum ſuis crucifigit ſceleribus, ſanguinem calcat, contemnit, & receptas iniurias rependit beneficijs, non ſolum non prodis in patris tui Dominique defenſionem, nec alterius te zeloſus acriter opponis impudentiæ, addo, nec quidem eius laboras fraterna correptione, vel admonitione diuertere peccatum. Euidenter probas, te nec eſſe filium, nec ad huius cœleſtis Patris admittendum hereditatem: ſi namque talis eſſes, hoc ſolo tenereris, ac moueteris, vt optares, vt procurares, quantum vires tuæ paterentur, ſcelerum eiuſque iniuriarum remedium.

17 ☞ VIII.

Licet autem hoc ſufficeret, vt tale quid faceremus, oppidò nos obligat, (inquit D. Chryſoſtomus) Patris conſuetudo cœleſtis, tanti namque nos facit, tanto proſequitur amore, vt contumelias nobis irrogatas vt ſuas proprias ipſe accipiat, ipſe indoleſcat, ipſe animo iniquo patiatur, ipſe illarum vltor procedat, licet ipſe

creaturæ, facinus ... Iſai. 1. Deus illatas ... bis ... eius qui ... ſibi ... prius ... tu calcitra.

te neſcias, tu illas negligas deſidioſus. Quod precor, fuit illud præconium toties repetitum quòd per prophetam iuſſit promulgari, de quo alias egimus: *Mea eſt vltio, & ego retribuam, dicit* *Dominus.* q. d. Tanti te facio, tantumque mihi tuum bonum, tuam arrogo dignitatem, vt velim, quotieſcumque te quiſpiam vel in minimo læſerit capillo, tu non te perturbes, nec vindictam intendas, illamque efflagites: etenim ipſe me vadé conſtituo, ego criminis & iniuriæ vindex exiſtam: qui namque tibi capillum lædit, mihi tangit ille pupillam oculi, me prouocat, eritque illi mecum negotium, qui tibi fuerit iniurius. Perpende ſtudioſè, ad quid ſe talis pater conſtringat: hoc illud erat, quod patenter ſuis proteſtabatur aſſeclis: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Perpendas, inquit D. Chryſoſt. quod Abrahæ contigit, quod eleganter quoque ponderat D. Aug. declarans illa Moyſi verba: *Peccauerunt ei & non filij eius &c.* Venit Abimelech Rex Philiſthinorum, & ignorans Saram eſſe vxorem Abrahæ, venit illi in mentem eam ſibi aſſumere in vxorem. Aduolat ilico Deus, illum acriter arguit. Ilico mulierem hanc dimitte, viroque Abrahæ remitte: quod niſi feceris, ſcito tibi mecum eſſe negotium: *Redde viro vxorem,* Reſpondet ille parce Domine, parce mihi: neſciebam enim eam Abrahæ eſſe vxorem. Cui Dominus, illud quoque noueram, vnde eam ob cauſam feſtinus adfui, vt te ab illa cohiberem, ne tantum in me crimen committeres: *Ego ſcio, quod ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te, ne peccares in me.* Domine ſi Rex ad vxorem acceſſiſſet Abrahæ, illum, non te offendiſſet. Falleris, me grauius quàm illum offendiſſet, etenim magis mihi cenſeo proprium, ſcelus commiſſum in Abrahā quàm ipſe Abraham: *Pater quod* (inquit Chryſoſt.) *de illis ſuis prophetis tacitè loquebatur, propriamque ducebat ipſorum iniuriam.*

Hinc colligebat illam loquendi David formulam, quando pro peccato ſuo ſuſcepit pœnitentiæ lacrymas: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Tibi ſoli, & coram oculis tuis, & contra te fuit illa, quam commiſi, malitia. Quomodo hoc dicis ô David? Numquid non, illud crimen in Vriam commiſſum? numquid illi & vitam & honorem abſtuliſti? numquid Betſabee offendiſti, quæ propriæ paſſa eſt æſtimationis iacturam? numquid in populum peccaſti, cui petra fuiſti ſcandali, & lapis offenſionis? Dicere vult. Tu Domine, ſcelera quæ contra tuos committuntur accipis ita tibi propria, vt tu ipſe ſolus ſis, qui mei vindex profiſis ſceleris, ſicque illud vlciſceris, quaſi ipſe per hoc fuiſſes irritatus. Ad vlteriorem huius confirmationem notat Diuus Chryſoſtomus, id quod inter Dominum Paulumque geſtum fuiſſe nouimus, in quo & cum quo oſtendit, quàm ſibi proprias arroget, contra ſuos culpas commiſſas. Nemo hiſtoriam ignorat. Poſtquam Chriſtus hoc in mundo triginta tribus annis, vixerat laboribus attritus, doloribus, pœniſque præter modum ſaturatus, quæ omnia ſupremis illis conclúſit ſupplicijs, quibus eum affixerunt ſuſpendentes in ligno, ſic vt diceret: *Conſummatum eſt,* Demum immortalis ſurrexit & glorioſus, in cœlum aſcendit triumphis coronatus, ſeditque ad dexteram Dei Patris, vbi nullus eum poterat offendere, nullum eo vſque attingere brachium.

IX. Saulus Chriſtū non diſcipulos dicitur perſequi.

Prodit in publicum Saulus, Chriſtianis indicit bellum, ſpirat cædes, emittit ſpumas iracundus, epiſtolas defert, quibus omnes comprehendat, vtique caſtigandos, quando verò his ſolertiùs inſiſtebat, & toto præceps ferebatur furore, deſcendit de cœlo Dominus immenſa luce circumfuſus, opponit ſe Saulo, in terram proſternit equitem, inclamat: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Tene Domine perſequitur? *Quis es Domine? Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Domine, nec te tangit, at nec poteſt quidem. Non ergo vides, quòd meam illam reputo perſecutionem, mihi ſeruis meis illatam arrogo contumeliam? Domini ſunt perſecutiones, quæ ſuis inferuntur ſeruis, illique adeo propriæ, vt numquam tales viuens in hoc mundo poſuerit querelas, contra eos, qui cum in propria perſecuti ſunt perſona, ligauerunt, ceciderunt, crucifixerunt, numquam audies, quòd de eis vnquam fuerit conqueſtus, dicens: *Cur me perſequeris?* Quin potiùs tacebat, velut ouis dum excoriatur, vt dixit propheta. Nō neganda ſunt vobis elegantiſſima D. Chryſoſtomi verba: *Poſt conſummatas paſſiones, poſt reſurrectionem illam celeberrimam, poſtque in cœlum tranſlationem, cum ab omni exercitu adoraretur, & iam eorum qui ſuper cœlos ſunt circumſtiparetur, item omnium Angelorum ordinum agminibus, etiam non eſſet in eorum numero, qui affligebantur, & perſecutionibus infeſtabantur, vbi Paulum furibundum vidit aduerſus Eccleſiam, & aduerſus Sanctos furoris ſui venenū effundere, inquit ad eum is, qui nō erat iam paſſionibus obnoxius, ſed in tā mirabili honore, gloriaque verſabatur: Saule, Saule, quid me perſequeris? Et plane*

*non-*

Margin notes (left): Theſſ. 4. Rom. 12. Deut. 32. Hebr. 10. / Luc. 10. 16. / Gen. 20. 7 / Hom. in ... / Pſal. 50. ...
Margin notes (right): Ho. citat. / Ioa. 19. 30 / Acto. 9. 4. / 18 / D. Chryſ. Tom. 4.

*non te perſequor, qui tuam in cœlis habes ſedem. Quid me perſequeris? Proprias facit ſibi Eccleſiæ paſſiones. Saule, Saule, quid me perſequeris? vides quod perſecutio Eccleſiæ Chriſto adſcribitur, qui Eccleſiæ caput eſt, &c.*

Quinimo eadem de cauſa Chriſto D. Paulus attribuit pœnas, labores, perſecutiones, & aduerſitates, quibus fideles infeſtabantur. Hoc quippe (inquit) ſignificare voluit; dum ait: *Adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti.* Num ergo defuit in aliquo Chriſtus? num aliquid eorum non paſſus eſt, quæ pati Chriſtum in noſtram oportebat redemptionem? Chriſtus (reſpondet) duo debebat pati genera pœnarum & perſecutionum, quaſdam in propria perſona, & illas omnes adimpleuit: *Conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis.* Attende verba hæc: *De filio hominis.* Alias eum pati conueniebat in corpore ſuo myſtico, ſcilicet fidelibus, eorumque etenim quiſque multas perferre debet aduerſitates, multas perſecutiones: *Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Illæ dicuntur perſecutiones pœnæque Saluatoris: eo quod illas tam ſibi proprias arrogat, ac ſi propriæ fuiſſent. Et ſi dolorem ſentire ex veſtris poſſet ipſe doloribus, veſtriſque affligi calamitatibus, ipſe acerbiùs multò illis, quàm vos, affligeretur. Et indubitatum eſt, quòd iniurias tibi illatas, magis ſibi proprias, quàm tu ipſe aſſumat. Addo quòd ex his (inquit) Apoſtolus illam adeo communem elicit ſententiam: *Peccantes in fratres, in Chriſtum peccatis.* Et quid hoc miramur (inquiunt Diu. Chryſoſtom. & D. Auguſt.) quod hoc agat, qui tam exactè capitis fungitur officio. Per forum obambulas, accedit alter, conterit tibi pedem, & vulnus infligit. Ilico ad offenſam prodit caput & quærit, cur mihi pedem atteris? O caput, nullus te calcat ſed pedem, qui à te diſtat quàm longiſſime, & in altera corporis parte extrema, tibique oppoſita. Reſpondet caput. Quod aduerſus meum agitur pedem, contra me agitur, & hoc tam meum eſſe facio, vt obuiam procedam, illum contingendo. Hoc Redemptor agit, dum Saulus calcare, & ſuos intendit pedes percutere, Apoſtolos ſcilicet & diſcipulos ſuos, in quibus, & per quos totum mundum perambulabat.

Colloſ. ca. 1. 24.

Luc. 18. 41.

2. ad Tim. 3. 12.

X. Noſtras perſecutione: Chriſtus ſibi arrogat.

1. Cor. c. 8. Ser. quod regulares fœminæ viris non cohabitent.

§. 8. In te. *Seueriùs tuas Deus caſtigat iniurias, quàm proprias: hoc ex cane diſcito Antiocheno.*

NOndum adhuc ſatis hoc ad amuſſim perpendimus. Euolue, monet D. Chryſoſtom. Sacras litteras, ac inuenies, quòd Deus tibi inflictas grauiùs ſe ferre oſtendat iniurias, quàm illas quæ directè ſuam offendunt maieſtatem, cum ſint illæ grauiores, & ſeriùs ac ſeuerius multò illas puniat. Rem attende in Cain (inquit) etenim cogitatione Deum incipit offendere de illo querulosus quód acceptor eſſet perſonarum, cum gratum haberet fratris, non ſuum, ſacrificium. Hinc quoque mortale contra Deum odium concipit vt diaboli filius. Quid agit Deus? Apparet illi, placidè alloquitur, comicè blanditur, ſuadet ſanora. Adeſto, chariſſime cur mihi, precor, indignaris? Num ignoras, quod ſi mihi ſeruieris, ego tibi mercedem ex integro perſoluam, & ſi mei causâ hoc feceris, quod Abel frater tuus, te vt fratrem tuum amabo feruentiùs? Hanc pelle cogitationem, hoc depone odium, & fœdera iungamus amicitiæ. Hoc verbis illis (inquit) innuit (ex lectione Septuaginta:) *Cur triſtis es; Peccaſti? Quieſce.* At peruerſus adeo fuit Cain, vt ex odio in Deum, in fratris odium tam mortale exarſerit vt eum trucidare propoſuerit & trucidauit. Quid agit Deus? Apparet illi totus furore frendens, rigoroſam exigit ab eo rationem: *Vbi eſt Abel frater tuus?* Quid illi rerum accidit? Quid ego hoc nouerim Domine? O proditor, ô fratris inimice nequiſſime: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, Maledictus eris ſuper terram &c. Vagus & profugus eris.* Num tantâ Domine, quia peccauit in fratrem, pœnâ multatur? Nonne grauiori longè te nebulo hic iniuria laceſſiuit, teipſum execratus? quomodo tunc adeo pacificus ac benignus, & nunc ob patratum in fratrem ſcelus adeo ſeuerus incandeſcis? Hic diſces (inquit D. Chryſoſtomus) qua ratione capiat Deus in te commiſſa grauamina.

Idem perpende monet, in celeberrima illa parabola quam Chriſtus propoſuit de rege illo, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis de donis à ſe illis diſtributis. Qui primus prodijt codicem accepti & expenſi producturus, decem millium talentorum debitor inuenitur condemnetur itaque, vt venditis bonis omnibus, vxore, filijs, ac ipſomet pro tanti debiti ſatisfactione, redde-

Gen. 4.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

redderet, quod ſe debere cognoſcebat: his preſſus anguſtiis, Domini pedibus aduolutus eius exorat miſericordiam, & vnico Domine miſerere mei, patientiam habe in me: parum erat Domino, petitam indulgere patientiã, inſuper & totius debiti licet immenſi, conceſſit liberaliter remiſſionem. A Domino digreſſus ſeuerus in conſeruũ ſurrexit, ſuffocat eum, & ob centum denariorum debitũ, in vincula conijcit. Citat hunc coram ſe Dominus, & verbis increpat amarioribus: *Serue nequam, omne debitũ dimiſi tibi.* Extremo punit rigore, conceſſam debiti totius reuocat indulgentiã, in carcerẽ mandat ſempiternũ, *Donec redderet vniuerſum debitum*, nec vltra preces, lachrimas, ſingultus admiſit inexorabilis. Quid his Domine nobis ſignificas? Dei erga nos miſericordiam, offenſas enim in te commiſſas, quamtumlibet graues ad vnum verbum remittit omnes, ſi corde requiritur, attamen, quas alius in te committit multo caſtigat rigoroſiùs: *Magna & ineffabilis miſericordia Dei. Cum in ſe quidem peccatum eſt, ad nudas tantum preces totum remittit. Cum autem in conſeruum videt crudelem, & inhumanum, ſuam reuocat liberalitatem monſtrans illi reipſa quod non tam illum, quam ſe offendiſſet.*

II. Seruus quoque ob crudelitatẽ in conſeruum punitur æternaliter. Matt. 18.32. Diuus Chr. Ho.27. in Gẽ. Tom.1.

Huic materiæ conformiter alia quoque plura trutinat D. Chryſoſt. S. Scripturæ loca, quæ noſtris tractatibus explicauimus. Porrò ne hoc inconſideratum tranſeamus quod Apoſtolus ait: *Si quis frater vxorem habuerit infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Huic igitur D. Pa. doctrinæ adhærens, menti oculos in illud conijce quod Redemptor noſter per D. Matth. prædicat: *Qui dimiſerit vxorẽ ſuã excepta fornicationis cauſa, facit eã mœchari.* Adeſt D. Chryſoſt. hoc examinans atque: *Quam excellẽs miſericordia etiamſi infidelis fuerit, vel pagana, retine, ſi autem in te peccauerit, & fœderis obliuiſcitur, eam repelle.* Quis hoc Domine, capiat, quærit D. Chryſo. num forſitan directè contra tuam non pugnat maieſtatem crimen infidelitatis? Adulterij peccatum, non tibi Domine, ſed marito arguitur iniurium. Cur igitur Domine, ſtatuis, infidelitas diſſimuletur, & vxori maritus conuiuat infideli, nec libellũ det ei repudij, tamen adulterium permitti neutiquam permittis? Ratio eſt quam habemus præ manibus, nimirum quod Deus animo toleret iniquiori ſcelera in noſtrũ commiſſa dedecus, eaque puniat atrociùs, quàm quæ in nominis ſui non minimam patramur ignominiam. Num ergo arbitraris (percunctatur D. Chryſoſt.) quod ad illa, Dei gratia præſtanda tenearis, quæ Deus ipſe in tui facit defenſionẽ? *Studeamus par Domino rependere, & referre.* Modo, cum pater ſit, non te excitas, vt eius indoleſcas opprobriis, ſaltẽ cũ videas, quàm ob tua doleat impatienter, & oſtendat ſe grauiùs irritatũ quoad ſupplicium in iis quæ in tui vergunt ignominiam. At noſtra eſt hæc calamitas (inquit D. Chryſoſt.) quòd nedum non iniquiùs toleremus peccata, quibus Deus irritatur, quàm ea quibus nos offendimur, quinimo, & hæc quantumuis parua, medullitus acriùs dolemus, eorumq́ue ſtudemus reparationi: quæ verò Dei tangunt offenſam, quamtumlibet grauia, negligimus, imò vertimus in prouerbium, vulgiq́ue parabolam. *Neſcio qui ſit* (audite D. Chryſo.) *nam omnia peccata, quæ ad Deum pertinent, inulta ſinimus; ſi quis autem paruum in nos peccauerit, eius ſumus graues vltores, & accuſatores.* Vt veritatem dicã, ſi Deus noſter foret hoſtis capitalis, non illum peius haberemus. Hoc Dauid in ſuis præ cæteris ponderabat attentiùs inimicis, quòd dum viderent, aliquẽ moliri in eius infamiam aliquid, quò grauiter vlcerabatur ſibi corridebãt, cumque naſo ſuſpendebant. Ita lamentabatur: *Inimici mei, dum commouentur pedes mei; ſuper me magna locuti ſunt.* Quid minus agis cum Deo; videns etenim peccata quibus eius offenditur dignitas, rides, iocaris, & de illis colloqui, eſt palato tuo periucundum?

1 Cor. 7.12. III. Vxor infidelis admittitur, adultera repellitur. Matt. 5.32. Diuus Chr.

D.Chr.

Pſ.37.17.

Hoc erat, quod dicebamus atrociter ferre D. Paul. contra Corinthios: quòd videntes hominẽ impurum, ganeonem, cachinnabantur, vertebantq́ue in parabolam. Fierine poſſe crediderim, ob iſta cachinnos effundas? Eſt ne poſſibile, quòd cor tibi non dirumpatur, diffluatq́ue per oculos, dùm tam enormes cernis offenſas, & infamias, quæ patri tuo indecenter inferuntur? *Vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis*: Ad iſta cœlos obteſtatur (a) D. Ambr. & in eum finẽ expendit, quòd bruta in ſuorum faciant defenſionem dominorũ, & quòd canis moloſſus agit: dum ſuum cernit ab aliquo offendi Dominum, factum narrat mirabile quod Antiochiæ contigit. Ad veſperam vir quidam plateam ciuitatis pertranſibat comite cane ſuo ſolitariam, ex angulo inexſpectatus proſilit latro, qui vt eum liberiùs expilaret, occidit, nemine tanti ſceleris conſcio, Chlamydem exuit ei & veſtem, mortuum nudumq́ue proſtratum in platea deſerens, abit. Canis autem Domini ſui cadaueri adhæſit immotus, tota nocte gemitus, ac inauditos

20

(a) Tomo el cielo con las manos.

X. Ca... D...nis in... ſi om...nũ p...li...as rob...atur.

edens vlulatus. Illuceſcente die, illac dum quiſpiam pertranſit, corpus vidit occiſi, ad cuius ſubitos clamores, accurrerunt multi, licet autem cadauer cernerent defuncti, magis attamen canem mirabantur, ob non vulgares gemitus ac quos edebat vlulatus, vt nec ad momentum à cadauere diſcederet. Homicida verò, vt cædem diſſimularet adfuit & ipſe cum aliis; hominis triſte deplorans infortunium: facinus familiare, loquitur D. Ambroſius talibus, vt omnem à ſe facinoris auertant ſuſpicionem. Canis, qui hactenus proſtratus iacuerat queri abundus, mox vt inter alios Domini ſui vidit homicidam, vt leo efferbuit illum inſolitis latratibus impetendo: *Canis ſequeſtrato paulisper queſtu doloris, arma vltionis aſſumpſit*, in eumque toto irruens furore, dentibus apprehendit, & captum detinens, vlulatus dabat horribiles: Turbatur præter ordinem homicida, cumque omnes notarent, quòd in eum canis non moueretur, ob flagra ab eo recepta, à iuſtitiæ ſatellitibus capitur, in vincula retruditur, ſceluſque confitetur. Mirabile factū (exclamat D. Ambroſius) talis in animali bruto doloris ſenſus, vt iam cum ſuum non poſſit tueri dominum, nec ſcelus iam commiſſum auertere, ſæuus proſiliat ſanguinis vltor, vt propriam, Domino tamen irrogatam, ſibi arrogans offenſam.

Aduertit D. Ambroſius, ſi talem canis ſeruauit Domino fidem, qui panis illi fragmentum adiecit, cum canis eſſet, quid homini conuenit facere, & quam debet ſeruare fidem illi, qui ſibi tribuit eſſe, vitam, & ipſe eſt, qui eius gratia

D. Ambr. Lib. 6. Hexamer. c. 4. Tom. 1. ſuam profundit vitam liberalis. *Quid nos dignum noſtro referimus creatori, cuius cibo veſcimur, & diſſimulamus iniurias, & ſæpe inimicis Dei, eas quas à Deo accepimus, epulas exhibemus.* O ſanctiſſimum Paulum, quàm triſtis ingemiſcit, quàm acuto cor illi doloris gladio clauoque lancinatur.

Rom. c. 9. 1. Teſtis eſt mihi Deus: *Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.* Cur hoc Apoſtole glorioſè? Num forte, quia tuam machinantur mortem? Numquid, quia te ſemel & bis virgis cædere ſtuduerūt? Num quia catenas vides tibi præparatas? Abſit omnino. Sed quia video peccata quæ proximi mei, fratreſque cōmittunt in Diuinæ Maieſtatis opprobrium, cordis eorum contemplor infidelitatem, quamque tractent Chriſtum iniurioſè:

Rom. 9. 4. *Pro fratribus* L. 8. c. 17. *meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem qui ſunt Iſraëlitæ.*

V. Draconis ſimiliter fidelitas. His ſuper addi poteſt quod refert Plinius differens de pardis, ſeu pantheris, crudeliſſimis animalibus, idque ex ore nominatiſſimi philoſophi Democriti, qui narrat, quòd Toantes ciuis Arcadiæ draconem magno aluerit affectu verumtamen eius reformidans naturam, cū iam vaſtus excreuiſſet, illum in deſertum deduxit, ibique libertati reſtituit. Contigit vt paucis elapſis diebus eodem loco à latronibus Toantes inuaderetur: exclamauit: intellexit draco clamorem, ac bile totus inflammatus accurrit, ſeque defenſorem illis oppoſuit eius, qui eum aluerat: ita vt prædones ad maximas compulerit anguſtias, fugam capeſſere, ſaluumque Toātem deſerere coëgerit. Si hoc draco præſtet in obſequium eius qui illum educauit, iam licet ab eius dimiſſus ſollicitudine, quid tibi cenſes agēdum, Deum tuum propugnando, eiuſque honori per omnia conſulendo, cum ipſe ſit, qui te ſuſtinet, alit, & ſuâ numquam expellit memoria, ſua dimittit ſollicitudine. Ex hac doctrina declarari poteſt illa ratio, quam aſſignat D. Thomas cur omnia peccata, quæ committit alius, ſint contra te, quia tibi, inquit, ſunt petra ſcandali. Qua ratione, quæſo, me ſcandalizant? quia te commouent, ac perturbant, non ſolum in eo quod te prouocent, vt agas tu quod ab altero factum eſſe conſideras, ſed principaliter, quia te pariter contra illum excitant acerbiùs, quàm ſi te offendiſſet.

## § 9. Corripe. *Nulla facienda eſt correptio, vbi nulla ſperatur emendatio, proinde hæreticos continuo denuntia.*

IAm huius præcepti obligationem, & quali ratione ſit executioni mandandum declaramus. Præceptum hoc affirmatiuum eſt, proinde iuxta regulam Theologorum non pro ſemper obligat, ſed concurrentibus debitis circumſtantiis, ſicut ſtatutum audiendi miſſam feſtis diebus, dandi eleemoſynam, ieiunandi diebus ab Eccleſia præſcriptis, denique præcepta omnia affirmatiua. Sit igitur hæc prima circumſtantia, quòd fraterna correptio tantum eo caſu obliget, quo ſperatur vitæ correctio, & vtilitas proximi. Hæc eſt D. Thomæ concluſio ſumpta ex D. Auguſtin. cuius hæc eſt ratio, quia neque Deus, neque lex eius obligat ad actus otioſos atque infructuoſos. Atque in hoc differt correptio iudicialis, à fraterna, quòd hæc actus ſit charitatis, ac proinde tantum obliget, quando poteſt eſſe ad ſalutē: illa verò actus eſt iuſtitiæ, & vt talis ex officio ſeruare debeat æqualitatem: rei non attendit vtilitatē ſed tantū vt illi detur

1. Prima circumſtantia correptionis faciendæ. 2. 2. q. 33. a. 6. Smil. de ſynd. Dan.

quod

quod meretur per culpam, & per pœnam peccatum puniatur. Hæc eſt celebris illa D. Auguſt. ſententia, quam trahit ex Decreto: *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerẽ.* Et iuxta hoc exponit D. Greg. illud Dauid. *In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.* Salices rem indicant inutilem: eo quod, nullis fructibus fœcundentur. *Ideo prædicatores ſancti in iſtis ſalicibus non exercent organa, ſed ſuſpendunt, quia eã infructuoſas, ac reprobas mentes deſpiciũt, vim ſuæ prædicationis non exhibent, ſed potius lugentes ſilent.* Huius rationẽ aſſignat idẽ D. Greg. illud Chriſti expendens: *Immundus ſpiritus non inuenit requiem in locis aridis, & inaquoſis. Hoc nomine (inquit) corda iuſtorum indicantur, quæ per diſciplinæ fortitudinẽ ab omni carnalis concupiſcẽtiæ humore ſiccantur.* Terras abundantes, corda voluptuoſa quærit diabolus, ibi habitat, in illis requieſcit illaq; poſſidet. Sicut cor diuitis epulonis, quam hæc terra abundanter irrigata, quã cor illud deliciis affatim cpletũ, carniſque voluptatibus farcinatum! hinc tamorũ herbæ germinant peccatorũ: diabolus etenim eorũ corda poſſidet, eiſq; e dominatur. Amat fœnum: *Fœnũ vt bos comedit.* In locis humidis fœnum excreſcit, in his ad luxũ pullulat, vnde diabolus in illis adeo delectatur, quia in ipſis paſtum inuenit ſibi congruum: *Circumdabunt ei ſalices torrentis.* Sectatur craſſitiem, ſalicibus circumdatã. *Arbores infructuoſæ ſunt ſalices, ſed viriditatem retinent* (inquit D. Greg.) Peccatores, qui ſibiipſis gratulantur, quos nullũ mouet conſiliũ opinantur enim ſe aliis poſſe cõſulere, in quibus nullus ſperandus eſt fructus, velut ſalices, ab illis etenim fructũ credo ſperare nemine. Cum ſint ergo cibus, quæque diaboli, illos in ſuã ſubigit poteſtatem, proinde nullus ex illis fructus expectatur. Hac igitur de cauſa fruſtra tales corripiuntur.

II.

Proſequitur hoc argumentum Iob de talibus ferens cenſuram, quod ex nunc ad corpus pertineant diaboli: *Corpus eius quaſi ſcuta fuſilia, compactum ſquammis ſe prementibus, vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas.* Septuaginta tranſtulerunt: *Colligatio eius ſicut lapis ſmirites, vnus vni conglutinatur.* Smirites lapis eſt, quem nos dicimus Smaragdum, hic duriſſimus eſt, inſtar adamantis, de quo Dioſcorides, & Galenus. *a.* & hanc lectionem ſequitur Olympiodorus. *b* de quo ſic ille: *Dicitur hic lapis ſoliidiſſimus eſſe vt ad adamantem proxime accedat &c.* D. Greg. *c.* reprobos eſſe declarat corpus diaboli, velut ſcuta fuſilia, compactos ſquãmis ſe prementibus? vt nec minor ventus eas penetrare valeat, inſtar cutis Balænæ, de qua Galenus? *Balænarum & Elephantorum cutes ſumme duras & propemodum non ſenſibiles eſſe.* Licet autem Oppianus dicat, quod cutis Balænæ ſquãmis careat, ſeu ſcutis, aſſerit tamen eam adeo eſſe robuſtam, quaſi ex illis compacta fuiſſet. Dicit igitur D. Gregorius, quòd mali, qui corpus ſunt diaboli, ſint velut ſcutum, vt reſiſtant ſagittis, verberaque repercutiant illæſi: Peruerſi namque homines illi ſunt, qui correptionem repellunt ſagittas prædicationis atque admonitionis obdurati repercutiunt. Obfirmati ſunt, & hoc primum eſt, non admittere reprehenſionẽ. Ex eo quod Adam huius fuerit corporis membrum, ac eum ſtatim balæna deglutierit, inquit D. Gregorius, ſe habuit velut ſcutis compactum, quæ emiſſas repellunt ſagittas? Accedit Deus ad Adam poſt diuini ſui præcepti tranſgreſſionem: *Cur feciſti?* Continuo reprehenſionem repercutit, & culpam reiicit in vxorem: Explicat hoc D. Greg. *Non ad ſe culpam retulit ſed à muliere, quam Dominus dederat, ſe accepiſſe reſpondit, vt quaſi reatum ſuum obliquè in auctorem retorqueret, qui ei mulierem dederat quæ talia perſuaderet. Hoc ſcutum mulier requiſita etiam tenuit, quando nec ipſa ad ſe culpam retulit, ſed ſerpentis illud perſuaſionibus replicauit, dicens: Serpens decepit me, & comedi. Vade nunc vſque in vſum peccantium trahitur, vt culpa cum arguitur, defendatur. Et vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur.* Exemplo res patet in Herode: D. namque Ioan. correptio ad grauioris fuit criminis augmentũ, cum ex illa ſumpſerit cædendi gladio Baptiſtã occaſionem? Similiter Phariſæi, quos Chriſtus redarguit, peiores euaſerunt? Eodem loco perpendit D. Grego. illam Iſaiæ contra Synagogæ peccata Iudæorum inuectiuam, de quibus ſic vates: *Ibi cubauit lamia, & inuenit ſibi requiem, ibi habuit foueam hericius:* Requiem inuenit peccatum in viris ſynagogæ, ſicut lamia in antro ſuo, & hericius in nido: *Hericij nomine malitioſarum mentium defenſio deſignatur:* Vides hericium, caput & pedes, totum extenſum; ſi vero illum tetigeris, aut manu comprehenderis, *Semetipſum in ſphæram colligit*, caput, pedeſque abſcondit & totus aculeus eſt, vt manum ad capiendũ extenſã vulneret; Tales redarguuntur fuiſſe Iudæi, ſuam in Chriſtũ malitiã, mortaléque, contegebant inuidiam, ſi quando Saluator noſter illos reprehenſurus accederet, ilico grauiſſimæ ſpicula eiiciunt perſecutionis, quibus eum vulnerare, vitamque adimere conabantur. Talis tu quoque,

IV. Nec non Ericio. Iſai. 34.15.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

„ quando tuum prædicator arguit concubinatum, tuas vſuras, murmurationes tuas, repercutis admonitionem, correptionem reiicis, durior obſiſtis, peccatiſque tuis pertinacior, recalcitras nec non in illum ferox conſurgis qui te corripit, vt illi & in vita, & in anima nocere omnimodè deſideres. Quando igitur hæc in peccatore aduertuntur, non eſt quod illum corripias; ſurdo canis.

V. Correptio nō eſt ei facienda cui præuidetur obfutura.

Ex his infert D. Thomas, quòd minus multò tuum corrigere tenearis proximum, quando non tantum credis otioſam fore atque inutilem correptionem, ſed & intelligis, quod & illam iniquo feret animo, ſtomachabitur, nec aliud ex ea colliget, quàm quòd te deteſtabitur, tuam molietur ruinam; & correptus, nequior euadet: correptio namque actus eſt charitatis & ſpiritualis eleemoſyna & hanc facere non adſtringeris quando in pauperis vergeret detrimentum. Correptio medicina eſt, nec experto conuenit medico illam præſcribere, quamtumlibet bona ſit infirmo tam malignis humoribus laboranti, vt ex illa in deteriorem lapſurus ſit valetudinem. Hoc eſt, inquit, D. Thomas, quod ait Spiritus S. poſtquam dixerat, quòd ſuos Deus miniſtros mittat qui peccatores vocent, ad mentem reducant ſaniorem, indicare volens quos debeant corripere, ſubiungit: *Qui erudit deriſorem, iſſe iniuriam ſibi facit, & qui arguit impium, ipſe ſibi maculam generat.* In aliquibus codicibus, hoc additur: *Correctiones impij, liuores ſibi.* q. d. Corrigere ſceleratum, eſt tibi conciliare inuidiam, in te quippe ferox inſurget, ſua te lingua percutiens, adeo fortiter, vt honori tuo vibices infligat profundiſſimos. Proſequitur & ait: *Noli arguere deriſorem, ne oderit te.* Verba, quæ conformiter explanant D. Cyprian. a. D. Hieron. b. D. Gregor. c. & D. Pacianus Epiſcopus Barcelonenſis. d. adiungit, & ait, quod qui tales admonet, ſterquilinium euoluit fœtidiſſimum, & ignem culcitræ admonet ſtramineæ: *Vt cœnum ſolet tunc maxime fœtere cum moueas, & incendium tunc maxime ardere ſi vertas, & rabies tunc maxime ſæuire, ſi prouoces, ita illi obiurgationes neceſſario ſtimulos &c. Noli arguere deriſorem, ne oderit te, argue ſapientem & diliget te.*

Prov. 9.

a Lib. 3. teſtim. ad Quirinū.
b In c. 8. Amos.
c Lib. 8. mor. c. 24
d In pareneſ. ad pœnit.

VI. Similitudo.

Hoc ipſum pariter exponit Spiritus Sa. elegantiſſima ſimilitudine: *Ne incendas carbones peccatorum, arguens eos, & ne incendaris flamma &c.* Quando volueris extinguere candelam, exſufflas, & bene facis: cum enim non ſit illi ignis inuiſceratus, ſed quaſi in aere, flatus ſufficit, quo ſuffocetur. Attamen ſi exſufflaueris carbonem extincturus, ſtulto labore conſumeris, feruentiùs enim accendes: totam quippe ſubſtantiam ignis peruaſit. Quando noueris in fratre tuo flammam ignis accendi ſceleris, quoque benignas præbebit tuis aures admonitionibus, ſuffla tua correptione, quatenus extinguatur, attamen quando cor eius tanta videris nequitia penetratū, vt illū corripiendo, feruentiùs in Deū ac in te ſit exarſurus, dimitte illum, ne ſufflaueris, amplius etenim accendetur. Nedum, inquit D. Aug. nō actus eſt charitatis tales corripere, imo potius ipſi repugnat charitati. Idcirco diſcipulus ille dilectionis, ſingularis prædicator charitatis, de ſe refert, quòd calamū à ſcribēdo retraxerit, & ab admonendo fideles Eccleſiæ deſtiterit, eo quod noſſet quod inter illos quidam eſſet ſuperbus, vanus, inflatus, ſua peruicax arrogantia, quem vocat Diotrephes, qui ex Apoſtoli doctrina ſaniſque admonitionibus, nihil aliud præter blaſphemias, irriſiones, & in ſe ſcommata, cæterorumque damnum eſſet relaturus: *Scripſiſſem quidem Eccleſiæ.* Ego, inquit, proprio motu ſcripſiſſem & fideles Eccleſiæ corripuiſſem, *Sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes nō recipit nos &c. verbis malignis garriens in nos.* Diuina plane verba Diotrephes, ex ſe, nomen non eſt propriū, ſed appellatiuū & commune, quod ſignificat, ſuperbum & ſic inflatum vt nihil magis, à nomine deriuatur Græco διοτρεφεις, quod ſignificat: *Iouis nutritios*, quos alij dicunt Semideos, alij Heroas. Sicque Homerus illo nomine Regem indigitat potentiſſimum. Applicat autem illud D. Ioannes homini particulari, qui in ea verſabatur Eccleſia, ſuperbo, ambitioſo, arroganti, q. d. Ille princeps, ille potentiſſimus. Eius intuitu, inquit, ſcribere atque admonere non iudico conuenire? Quem etenim effectum mea correptio, mea operabitur admonitio, niſi vt proſiliat ille, & millenis conuitiis, innumeris mihi reſpondeat irriſionibus? *Verbis malignis garriens in nos.* Concinne loquitur D. Gregorius de eo qui talis eſt: *Correptione exaſperatus, protinus in contumelias ſurgit, & quæ male exaggerat, contra vitam correptoris dicit, demonſtrare incomparabiliter magis reum, ſuum reprehenſorem deſiderans, vt innocentem ſe, non ſuis actibus, ſed alienis criminibus oſtendat.* Hoc ſententiæ correſpondet Spiritus S. *Ne contra faciem ſtes contumelioſi ne ſedeat quaſi inſidiator ori tuo.* Ex his irrefragabilem elicit Sancta Theologia concluſionem: nempe quoad hæreticum, fraternam nullam eſſe correptionem, quia nulla ſpes effulget emendationis, & nulli

D. Paci. & 23 Eccli. c. 8. 13.

VII. Similitudo.

Lib. [illegible] de [illegible]

3. Ioan. 9.

VIII. Diotrephes quid ſit.

D. Greg. Lib. 8. mor. c. 24.

Eccli. 8.

IX.

Hæretico non eſt facienda correptio.

& nulli

& nulli rei ſeruit illi correptio, quàm vt per illam reddatur & aſtutior, & ſibi cautior. Quando namque homo eo deuenit, vt in fide deficiat, iam omnino cor illi perijt, eumque ita penetrauit iniquitas, vt inflatus ad nihil aliud ſeruiat, niſi vt ferventiùs accendatur: *Qui huiuſmodi eſt* (inquit Diuus Paulus) *ſubuerſus eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.* Ad Titum 3.11. Idem quoque Apoſtolus ait, quòd hæreſis ſit quædam infirmitas, dicta cancer, imo magis inficit quàm ipſe cancer, qui aliud non habet remedium, niſi vt abſcindatur, & à toto diuidatur.

Oſe. 4. Vt diuina veneror illa Domini verba apud Oſeam, quæ conformiter propoſito noſtro dilucidat D. Hieronymus. De decem loquitur tribubus nomine Ephraim, quæ vera deſerta fide, idola coluerunt: Oſe. 4. 17. *Particeps idolorum, factus eſt Ephraim, dimitte eum* (ne particeps fias malitiæ eius) verba, quæ de quocumque capere potes hæretico. Num aliquem vidiſti, qui Romanæ fidem Eccleſiæ eiurauit? dimitte illum, ne cum illo colloquia miſceas, ne reprehendas, ne cum eo familiariùs conuerſeris: neque enim illum ad frugem reduces meliorem, quin imo ipſe te prius ad mentem ſeducet prauiorem: eius namque morbus adeo eſt contagioſus, vt ſolo halitu, ſolo verbulo adhæreat: *Ne conſortio eius corrumparis* (inquit Diuus Hieronymus.) Quamdiu integram ſaluamque ſuam mercator ſeruat fidem, optimè illi poſſunt alij confidere & cum illo habere correſpondentias, ſecurè negotiari: verum quàm primum illi deficit fides, foroque cedit, fidit illi nemo nec verbis eius: nec ſchedulis, nec ſyngraphis adhibet auctoritatem; nec vllus eſt, qui non pernicioſam ducat eius eſſe correſpondentiam, mutuamque negotiorum ſocietatem.

X. Periculoſa eſt hæretici familiaritas.

Appoſitè notat Diuus Cyrillus Alexandrinus illud Domini noſtri ſtatutum populo prælectum, contra Moabitas & Ammonitas: Deut. 23. 6. *Non facies cum eis pacem nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum.* D. Cyrill. legit: *Non loqueris ad illos pacificè neque illis vtilia, omnibus diebus tuis in ſæculum.* Bone Deus, quomodo præcipis, vt cum eis pacem non conſeruem, cum nihil ſit à te ſic nobis commendatum quam pax, Apoſtolus quoque tuus hortatur nos: Ad Rom. 12. 18. *Cum omnibus hominibus pacem habentes:* Quomodo mandas: *Non quæres eis bona?* Nonne tu ille, qui iubes, qui poſtulas omnibus quæramus bona, etiam inimicis? Deinde quomodo ſancis, nullus illis loquatur, nec verbulum quidem, quod illis aliquam poſſit afferre vtilitatem? *Neque illis vtilia?* Diuina nobis (reſpondet D. Cyrill.) vult Deus præſcribere documenta, vt ſciamus qua ſit nobis ratione cum hæreticis agendum. Ne talibus amicè loquaris, vultu pacifico ac blando, pacem ne illis offerens. Indubiè, hoc ſpectare debuit (inquit ille) dilectiſſimus Chriſti diſcipulus, quando de illis locutus hoc nobis præcipit. *Nec aue ei dixeritis.* 2. Ioa. v. 10. Nec verbis illos alloquaris pacificis, illos comicè ſalutando, ne illos vt amicos alloquaris.

De Diuo Antonio refert D. Athanaſ. qui cum eſſet manſuetiſſimus, cunctiſque benigniſſimus, eum numquam inducere potuerunt, vt loqueretur, aut amicè ſe gereret cum hæreticis: D. Atha. *In vita S. Antonij.* *Numquam nec amicabilia verba cum eis contraxit.* Porro quod magis demiror hoc eſt, quod addit lex: *Neque verba illis vtilia.* Bone Deus, quid hoc audio? Cum ſummè excommunicato det Eccleſia locum, vt illi dicantur verba, quæ eius poſſunt ſaluti prodeſſe: Nota etenim eſt hæc regula caſuum: in quibus licitum eſt colloqui hæretico: *Vtile, lex, humile* &c. Quomodo prohibes cum hæretico colloquium, & quidem ei ſalutare? Quia hoc tibi firmiter velim perſuadeas, nulla eſſe verba hæretico vt proficua; credendum quoque tibi, quòd quidquid eo reſpectu illi dixeris, illi minime ſit profuturum & inde tibi non paruum immanebit periculum, damnumque irreparabile, quàm aptè dixit hoc Spiritus S.

XI. Deſcribitur hæreticus. Prou. 6. 12.

*Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, prauo corde machinatur, & omni tempore iurgia ſeminat.* Nemo facile dixerit, aptioribus poſſe coloribus hæretici depingi dolos, fraudes, machinationes, modumque agendi verſipellem: *Homo apoſtata:* Homo qui dorſum vertit animumque fidei Catholicæ, quam in baptiſmo ſuſceperat. *Vir inutilis,* q. d. Iam nunc illum vt hominem æſtimes perditum, infrugiferum, de illo nullam exſpectes vitæ correctionē, potius time: *Quia graditur ore peruerſo.* Totus in hoc collimat, vt verbis doloſis ac mendacibus te circumueniat, & in fraudem pelliciat: etenim hoc corde ſuo meditatur, quod autem tua efficiet correptio, hoc erit: illum reddes cautiorem, aſtutiorem, timenſque ſupplicium, tibi reſpondebit, emendabo me: at peruerſa eius erit intentio: *Graditur ore peruerſo.* Proinde non eſt quòd illum fraternè corrigas, ſed quàm primum illum Inquiſitoribus denuntia Apoſtolis ac miniſtris, quos Eccleſia ſtatuit, vt in illos animaduertant ac partes reſcindant putridas, ne cæteras inficiant

clant ſibi propinquas, quicumque illi fuerint, amici, cognati, Principes, Plebei, confeſtim illos denuntia.

Dent. 13. 1

XII. Hæreticus ilico denuntiandus.

Ad hoc, verbis illis toties repetitis, nos voluit Dominus obligare: *Si ſurrexerit in medio tui propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat &c. Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens: Eamus & ſeruiamus dijs alienis &c. Non parcat ei oculus tuus vt miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies, ſit primum manus tua ſuper eum.* In hac materia nullus eſt amicus, nullus cognatus, nec vxori maritus, nec vxor marito, nec pariter filijs, nec filius patri: *Non parcat ei oculus tuus.* Ilico denuntia illum vt hoc modo correptio ſubintret punitiua, ac iudicialis ſui ſceleris ſupplicium, ac Reipublicæ beneficium. Opinatus eſt Abulenſ. quibuſdam adductus rationibus, quòd in caſu hæreſeos patrem filius non teneretur denuntiare. Verùm rationes efficaciores atque vrgentiores in oppoſitam duxerunt ſententiam Alexandrum de Ales .*a.* Angelici Doctoris præceptorē & noſtrum Cardinalem Caietanum .*b.* Doctorem fratrem Alphonſum de Caſtro .*c.* & doctiſſimum Nauarrum .*d.* Et hoc quoque eſſe dicimus, quod neceſſario ſequi debet conformiter vaticinio Zachariæ: qui poſtquam Saluatoris prædixerat aduentum, qui vt fons ſacratiſſimus appareret: *Erit fons patens domui Dauid* atque mirabiles effectus, ex eius aduentu promanandos; vnum hunc deſcribit: quòd de mundo ſcilicet idololatriam, errorumq́ue profeſſores eliminaret, fidemq́ue plantaret in eo Catholicam: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra &c. & pſeudo prophetas.* Adiungit, quod ad hanc fidem ſeruandam illibatam, patres fiſcales eſſe deberent filiorum, illoſq́ue denuntiare, ſi in aliquo deficerent: *Et erit, cum prophetauerit quiſpiam vltra dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum. Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater eius, & mater eius &c.* De hæreticis ſermo eſt, qui nouiter exſurgunt, qui ſtatim ſunt denuntiandi, vtique plectendi, ſit licet filius tuus, aut pater tuus, aut intimus amicus. Illi nulla eſt fraterna correptio facienda; nam propriè hic ille caſus eſt, de quo Spiritus S. & expendit D. Thom. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te.* Nomen hæretico proprium eſt *Deriſor.* Qui fidei doctrinam deridet, qui S. Matris Eccleſiæ ceremonias exſibilat: Sic quoque SS. Patres intellexerunt, quòd talem nominet rex & propheta pſalmo primo: vbi noſtra lectio vulgata ſcribit: *In cathedra peſtilentiæ non ſedit*, quòd in Hebraica ſcribatur: *In cathedra deriſorum*: ſunt enim hæretici deriſores, cauillatores, peſtem ſecum circumferentes, quos ſi correpturus acceſſeris, periclitaris, ne peſtem quoque contrahas, & ad minus, quòd de tua colliget admonitione, hoc enim abominabitur te, ſibi à te cauebit, qui ſciat, quòd illum detexeris: *Noli arguere deriſorem, ne oderit te.*

In c. 13. Deut.

a 3. p. præcepit 4. q. 33.

b In c. 13. Deut.

c Li. 2. de iuſta Hæreticorum punit. c. vlt.

d In c. Inter verba 11. c. 3.

Zac. 13. 1.

XIII. Nulla in denuntiādo habenda eſt ratio cognationis.

P. ou. 9. 8.

Pſal. 1.

## §. 10. *Non debet particularis publicos corripere peccatores, ſed pro illis orare.*

EX eadem ratione corripere non tenemur quos nouimus ſuis in ſceleribus obſtinatos, Deo mundoq́ue publicè refragos, & præuidemus, quòd in eo excipient admonitionem, vt publicæ meretrices, publici fœneratores & vſurarij. Illis publica facienda eſt correptio, iuxta D. Pauli conſtitutionem: *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Hoc egit præclariſſimus Chriſti præcurſor D. Ioannes: Herodem enim inceſtuoſum coram omnibus, & publicè redarguit: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Sic quoque conuenit, non enim quia hæc perfrictæ frontis audeant impudentes, illis hæc licita ſunt. Quid ego igitur acturus ſum, qui nec officio fungor prædicatoris, nec publica polleo auctoritate? Num illos omnino deſeram? Huic difficultati reſpondet D. Pacianus Epiſcopus Barcelonenſ. multa tibi conferre licet ad eorum emendationem. Primum: mores tui bonumq́ue vitæ exemplum: hoc etenim tales efficaciùs corrigis, quàm verbis: talium odia, vel conuitia, viuendo meliùs, quàm loquendo arguimus. Secundum: quod ad eorum poteſt conferre correptionem hoc eſt, vt ſupplices ad Deum pro illorum conuerſione preces fundas, vt dignetur oculos aperire, mutare voluntatem, ad meliora conuertere.

1. Tim. 5. 20.

Matth. 14.

Epiſt. ad Antian.

In quarumdam ciuitatum interceptione, quæ præter morem munitæ ſunt, muris cinctæ fortiſſimis, & vallis clauſæ profundiſſimis, vt nullus pateat aditus, nullumq́ue medium illis occupandi, pro more habent prudentiſſimi copiarum duces, aliquanto ab vrbe interuallo tormenta figere bellica, glandeſq́ue explodere grauiores, vt olim lapides prægrandes ex catapultis,

1. Simile.

tapultis, ſeu fundis, illos in medium euibrando ciuitatis, vt in illam decidentes ciuium diruant, euertant, collidantque domos. Imo Rex noſter inclytus Iacobus Conquiſitor de ſeipſo ſcribit, hoc viſum fuiſſe artificio, vt fundis maioribus, quas baliſtis ligneis explodebant in altum lapides emitteret ponderoſiſſimos, qui decidentes in vrbem ſeu locum obſeſſum, horribilem in domibus, locoque ſtragem edebant. Quinimo & in ipſo Hieremia legimus, hac arte ſibi præualuiſſe Nabuchodonoſor dum obſideret
Iere.33. Hieruſalem, antequam illam ſibi ſubiecerat; vt notat Lyranus expendens illa Hieremiæ
Ibid. Hier.33. verba: *Ad domus Regis Iudæ, quæ deſtructæ ſunt*.

Hoc tibi faciendum incumbit, vt iſtos euincas peccatores, non aliquem corripere in particulari, ſed cordis viſceribus magni ponderis glandem ſeu lapidem euibrans, orationem nempe ferventiſſimam cœlum verſus, affectu Deum roges tenerrimo pro eorum conuerſione: ſic enim fieri poſſet, vt eorum alicui ad ſalutem prodeſſet ſempiternam. Hoc valuit ſtratagemate D. Stephanus, multitudine, fœceque hoſtium circumcinctus, qui cordis ſui duritiem
Act.7.54. dentium ſtridore declarabant: *Stridebant dentibus in eum*. Eorum ſitiebat ſalutem inuictus athleta, nec expedire iudicat, eorum impetere ſingulos, orationis ſuæ ſumma vi glandem eiaculatur, quam proximi charitas vehementer in cordis ſui inſtrumento ſuccenderat: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Et in Saulum cecidit, quem ea ratione Deus conuertit, & ex hoſte crudeliſſimo, in fideliſſimum ac ſecuriſſimum ſuorum mutauit amicorum. *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet*, ait D.
D. Aug. Auguſtinus. Hanc Stephanus praxim à ſuo ac noſtro didicerat Magiſtro, quando cruci confixus rebellium agminibus circumuallatus inimicorum, ex illa magiſtrali cathedra non illos ſeu ſingillatim, ſeu in communi reprehendit, ſed è diuino ſuo pectore lapidem potentiſſimum, cœlum verſus vibrauit orationis, ad
Luc.23.48 Patrem ſuum æternum illam dirigendo: *Pater dimitte illis &c*. Et ſupra eorum multos cecidit, qui grauiſſimam ſuam deteſtati malitiam, cuius ſe reos agnoſcebant, in domos ſuas *Reuertebantur percutientes pectora ſua*. Hoc quoque tibi faciendum ſuadeo, vt communiter Deo, feruentius pro peruicacibus ſupplices peccatoribus, vt aiebat D. Paulus, de contumacibus illis loquens Iudæis: hortabatur enim, vt pro
Rom.10.1 illis in communi Deum obſecrarent: *Fratres, voluntas cordis mei & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem*. Et de peccatoribus idem ſtatuit obduratis: *Vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à* 2.Tim.2.
*quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*. Quan- 26.
do deuotus interes ſacro, offer illud pro peccatoribus, vt per Dei gratiam à ſceleribus reſipiſcant, & conuertantur. Quando roſarium tuum euoluis, obis ſtationes, ad tuum ſecedis oratorium, cum pro te preces fuderis, eiſque ad quos arctiùs conſtringeris, etiam memento peccatorum, Deum deprecare: per piiſſimam tuam Domine bonitatem, tot obſtinatorum; obſecro miſerere peccatorum: vtique tuæ creaturæ ſunt, ſunt animæ ſanguine tuo emptæ, redemptæque pretioſo. Potentiſſima eſt diuina tua gratia, vt rupes emolliat duriſſimas, & de titionibus inferni, cœlorum faciat Seraphinos, atque de lapidibus iſtis filios Abrahæ dilectiſſimos.

### §. II. *Terret corripere ſicut D. Hieronymum; at actus eſt amoris, & qui illum exhorret, peribit.*

18 Licet prædicta vera ſint, neceſſariam eſſe fiduciam futuræ emendationis; intelligendum eſt, quòd te non poſſis ab onere excuſare, quòd hoc tibi præcepto imponitur, ob quamlibet ſuſpicionem, ſeu timorem, quòd inutilis tua ſit futura correptio; hæc eſt acies illa, quâ cuncti ſeipſos tuentur, hoc ancile ſcutumque quo ſe contegunt, ne moneant peccatores. Domine, quid me refert illum corripere, quem ſcio quòd me deteſtabitur? Noui, quòd in me ſæuus exurget, & hic erit operis mei fructus quòd hoſtem mihi conquiſiero crudeliſſimum, & capitalem inimicum. Reſpondeo, quòd ex parte tibi conſentiam, quòdque tam iniquo recipiatur animo correptio, vt potius peccatoribus prædicare deberemus, vt illam placidè reciperent, quàm alijs, vt illam darent. Quocirca ſuper hoc D. Chryſoſtom. & D. Gregor. Nyſſen. ſingulares ediderunt Tractatus, hortari peccatores, benignè reciperent admonitiones, quos inſcripſerunt: *Aduerſus eos, qui ægre ferunt reprehenſiones*. Ex eadem ratione ſcripſit D. Auguſtin. D. Aug.
*De fraterna correptione patienter toleranda*: ſic- Epiſt.87.
que orditur: *Quis facile inuenitur, qui velit re-* ad Felicitatem &
*prehendi? Et vbi eſt ille ſapiens, de quo dictum eſt:* Ruſticũ,
*Corripe ſapientem & amabit te?* Sicque ſe res matrem
habet, nihil eſſe quod tam iniquo ſuſcipiatur a- & filium.
nimo, ac ipſa veritas, nec cui truciorem oſten- Tom.2.
damus vultum: tam enim veram, quàm antiquum

quum eſt illud adagium: *Veritas odium parit.*

I. Veritas odium parit.

Licet qui illam dicat, ipſe ſit Apoſtolus Paulus: cui licet adeo afficerentur Galatæ vt pro eo libenter vitam ſuam profunderent, oculoſque ſibi eius gratiâ, eruerent: *Oculos veſtros eruiſſetis:* illum tamen abominantur, fiuntque inimici crudeliſſimi, eo quod illis diceret veritatem, peccanteſque corriperet: *Inimicus factus ſum vobis, verum dicens.* Quid plura? hoc ipſum Dei filium in crucem adegit: non enim eius poterant blandè Phariſæi perferre reprehenſiones: *Quæritis me interficere: quia ſermo meus non capit in vobis.* Ab illo percunctatur Pilatus: quiſnam eſſet quod eius officium, quodue exercitium, vt noſceret, quam ob cauſam eum Iudæi execrarentur. Reſpondit ei Ieſus. Meum officium eſt proloqui veritatem: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Num hoc Domine officium aſſumpſiſti? Confeſtim ergo videbis, quòd te crucis ſupplicio condemnabunt. Hoc ſanctum deterruit prophetam Hieremiam, ipſo teſte: cum etenim quodam die peccatores acriùs reprehenderet, tumultuarij conſpirant in eum: dicentes: *Perſequimini eum perſequamur eum,* & ſtrictiſſime mandarunt carceri, quare in tantū ſe recollegit, ac ſubduxit, vt firmiter deliberaret illi valedicere totaliter officio, atque prædicationis ſe exercitio abdicare. Cum enim tam infauſto mihi euentu ſuccedat alios velle reprehendere, & peccantes admonere; definitum eſt illud omittere: *Factus eſt ſermo Domini mihi in opprobrium, & in deriſum tota die, & dixi: Non recordabor eius, nec loquar amplius in nomine Domini.*

Gal. 4. 5. — Ioa. 5. 37. — Ioa. 19. 38. — Hier. 20. 8

Hom. 1. in pſ. 37.

II. Varijs probatur exēplis.

Ad rem aptiſſimè diſcurrit Origenes & admirabilem proponit inductionem. Iſaiam (inquit) eo quod Dei præcepto Principes arguerit, Principes eos compellans Sodomorum, ſerrâ medium diuiſerunt. Hieremiam ob reprehenſas eorum nequitias in puteum demerſerunt. Michæam quod contra Regis animum ſe voluerit opponere ſtulto falſorum iudicio ſententiæque prophetarum, alapis contuderunt. Expendit illius caſum D. Hieronym. quòd, quia vates ſanctiſſimus inſolentias arguerit ſacerdotum, Principum ac populi, omnes illi, tam diſſimilis licet dignitatis turmatim in vnum conuenerint, conclamantes: *Morte moriatur homo iſte: quia prophetauit:* Adſit mihi Dominus, exclamat D. Hier. quàm acerba eſt omni hominum generi reprehenſio, Principibus, ſacerdotibus, plebi? Fateriſſimus eſt D. Hieron. in epiſt. quam exarat ad preces cuiuſdam monachi, matre eius & ſorori quia eum admittere in ſuam nolebant ſocietatem, ſed & ſoror, matrem ſuam recuſabat, quia & hæc ſecum habebat quoſdam viros Eccleſiaſticos qui licet boni, tamen materiam dabant oblocutioni, illos autem eo detinebat titulo quòd rationibus ſuis conſulerent: *Ob cuſtodiendas facultates.* Inſtitit Monachus apud D. Hieron vt illis litteras daret, vtramque fraterna corripiens admonitione. Recuſat onus D. Hieronymus, timoremque prætendit oſtendens, quod iam mundo diſceſſiſſet, nec ſe vellet mundi implicare negotijs. Replicat monachus. Quid hoc, pater mi nonne tu ille, qui totum mundum reprehendiſti? Quis hic tuus ille timor? *Nimium formidoloſus es: Vbi illa quondam conſcientia, in qua multo ſale, totum orbem defricans Lucilianum quidem retuliſti?* Hoc dixit eo quod de Luciliano Satyro cecinit Horatius: *Quod multo ſale orbem defricuit.* Omnes etenim ſuis Satyris acris demordebat. Reſpondet illi D. Hieron. *Hoc eſt quod me fugat, & labia diuidere non ſinit: poſtquam enim arguendo crimina, factus ſum criminoſus, & iuxta tritum vulgi prouerbium & rogantibus & negantibus cunctis, nec aures me habere credo, nec tantum, ipſique parietes in maledicta reſonarunt, & in me pſallebant, qui bibebant vinum, coactus malo, tacere didici, rectius eſt arbitrans, ponere cuſtodiam ori meo, & oſtium munitum labijs meis, quam declinare cor meum in verba malitiæ, & dum carpo vitia in vitium detractionis incurrere.*

Lib. 5. c. 26 Hierem. — Hiere. 26. 8.

III. D. Hieronymus non vult alios corripere.

Noſtram graphicè deſcripſit conditionem amicus ille Iob dum ait: *Homo putredo & vermis* Prope miraculum eſt videre vermem, ſeu tineam, dentibus adeo vigere pernicioſis, vt pretioſiſſimam corrodat purpuram, & duriſſimum transfadigat lignum, & nihilominus talis eſt conditionis, vt quamtumlibet parum illam tetigeris, licet vel extremo tantum digiti, vt illam auertas, ſe opponit, & te puluere commaculat. Talis deſcribitur homo. Quæ lingua tam acuta, vt turpi labe inficiat, & quaſi tenebris circumiectis obfuſcet ſummas etiā dignitates? qui dentes adeo corrodentes, vt nec parcant religioſo nec Eccleſiaſtico, nec coniugatæ nec viduæ, quos non transfigant, quorum non honorem, famāque peruadant detractores; & cum in omnes habeant, omnes cauillentur, ſi ipſos vel ſolo digito tetigeris, & vnico vel verbulo perpenderis contra te puluere reſiliūt, & conſpergunt abominationibus. Satis hoc eſt familiare. Proinde meâ ſententiâ, hac tēpeſtate magis nobis cō-

ci

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cit hortari peccatores vt patienter tolerent re-
prehenſiones, & velint ab alijs corripi; quàm a-
lios vt errantes corripiant, moneantque ſceleta-
tos. Et verum eſt, quòd inter alia beneficia quæ
tibi conferre poteſt Deus, dum delinquis, hoc
vnum eminet, ſi tibi mittat ſicut Dauidi, quen-
dam Nathan, qui te redarguat, tibi aperiat ocu-
los; vnum quoque, idque non obſcurum, tuæ ſi-
gnum eſt reprobationis, non optare, nolle corri-
pientis te perferre reprehenſionem.

D.Baſi. Mouit D. Baſil. quæſtionem quid de illo cre-
L. de regu. dendum, quidque ſperandum: *Qui offenſionem*
bren. in- *ſumit in eum, à quo correptus eſt cuiuſmodi eſt?*
terro. 59. Reſpondet autem: quòd deſperata ſit eius ſalus:
V. primò: Quia eſt velut inops iudicij, cum de
Deſperata correptore ſuo credat, quòd ſibi malum deſide-
eſt eius ret, Num fortè te corripere actus eſt odij vel a-
ſalus qui moris? Conſtat omnibus, actum eſſe amoris, &
odit cor- ex eo quod tibi velis, promanare. Ita (inquit) lo-
reptionem quitur Spiritus S. *Qui diligit inſtanter corripit.*
Prou. 13. Et patet ex eo, quod ipſe Dominus ait: *Ego quos*
24. *amo, arguo, & caſtigo.* Quod te corripiam, quòd
Apoc. 3.19. te redarguam, ex amore quo tibi afficior, pro-
cedit: etenim illis quos deſerui, hoc non im-
pendo beneficium; Hinc illud Domini profluxit
Leuit. c. 19 mandatum: *Ne oderis fratrem in corde tuo, ſed ar-*
17. *gue eum, ne habeas ſuper illum, peccatum.* q. d. Vis
omnibus conſtet quòd fratrem tuum non exe-
creris? Attende, num illum corripias: quod ſi
fratrem amaueris, argues illum, & animæ eius
conſules incolumitati. Num fortè actus eſt ini-
micitiæ, velle infirmo venam aperire, vt citius
conualeſcat? Num odio forſitan adſcribi, ſi
quis te luto defixum velit ſubleuare? Tibi ſig-
nificare, quòd per humerum tibi ſerpat ſcorpius,
ex quo tibi vitæ periculum immineat? præmo-
nere te, quòd facultates tuæ ſiue ex hoc, ſiue ex
illo diſſipentur. In confeſſo eſt apud omnes,
quòd hæc hiſque ſimilia opera, ex tanto ſentias
amore profluxiſſe, vt diceres, inimicum habe-
rem, qui de his me non præmoneret. Cur igitur
actus cenſendus eſt inimicitiæ velle te illo edu-
cere cœno, in quod anima tua delapſa periclita-
batur? Indicare tibi, quòd peccati ſcorpio pe-
ctus tuum perambulet, in apertum ſalutis tuæ
detrimentum?

VI. Ita perpendit D. Hieron. illud Poëtæ: *Veritas*
Sapiens *odium parit*: non eſſe verum in omnibus niſi
diligit tantum in ſtultis & deploratis hominibus: ſapiens
correptio- quippe vir ac iuſtus diligit corripientem ex Spi-
nem. ritus S. teſtimonio: *Argue ſapientem, & diliget*
Prou. 9. 8. *te.* Et hoc ita perpalam tanquam verum euaſit,
vt D. Chryſoſt. compoſuerit homiliam de feren-
dis reprehenſionibus & conuerſione D. Pauli in
qua probat, quod ſapiens ac prudens quiſque, li-
cet præter rationem corripiatur, ſibi nihilominus
perſuadeat, hoc ex amore perficiſci. Pro heius
confirmatione ponderat illa Spiritus S. verba: Prou. 12. 1.
*Qui odit increpationem, inſipiens eſt.*

Secundo: quòd deploratum eum cenſere de-
bes, qui odit correptionem, hæc ea eſt ratio,
quòd execretur remedium, idque, quod ſibi eſt
medicina. Cenſetur incurabilis ægritudo rabies:
quia nihil magis rabido odioſum, quàm aqua,
quâ tamen eius continetur remedium: illam vi-
dens, turbatur, commouetur, & in eum qui il-
lam ſibi porrigit, excandeſcit. Illum pro dereli-
cto habeas, & vt talem potes æſtimare quemli-
bet infirmum, tam peruerſæ conditionis, vt ex
recepta medicina deterius habeat. Hoc Spiritus Prou. 12. 1.
S. millenis affirmat locis. Modo: *Qui diligit*
*diſciplinam, diligit ſcientiam; qui autem odit in-* Prou. 13.
*crepationem, inſipiens eſt?* Nunc. *Egeſtas & igno-*
*minia ei, qui deſerit diſciplinam, qui autem ac-* Prou. 29. 1
*quieſcit correptioni, glorificabitur.* Hic: *virum,*
*qui corripientem dura ceruice contemnit, repenti-*
*nus ei ſuperueniet interitus, & ſanitas eum non ſe-*
*quetur.* Ibi: *Qui abijcit diſciplinam, deſpicit ani-* Prou. 15. 32
*mam ſuam, qui autem acquieſcit increpationibus,*
*poſſeſſor eſt cordis.* Alias: *Vir peſtilens non amat* Prou. 15. 12
*eum, qui ſe corripit.* Attende quod illi nomen tri-
buat: *Vir peſtilens.*

His conformiter compoſuit D. Cyprian. li- D. Cypri.
brum de diſciplina & habitu virginum, in quo *Li. de diſ-*
diſputat de corripiendis puellis; inde verò ſumit *cip. & ha-*
principium, quòd ſancta correptio, magiſtra ſit *bitu virg.*
virtutum, proinde qui illam exhorret magiſtrum
expellens, ſolus ſine diſcipulis, virtutibus ſci-
licet remanet, & peribit: *Eſt magiſtra virtutum,*
*quæ facit ad promiſſa cœleſtia, & præmia diuina*
*peruenire. Hanc ſectari ſalubre eſt, & auerſari ac*
*negligere, lethale.* Deinde declarat quàm illam
ſeriò nobis pſalmiſta Regius commendet, dum *Pſ. 2. 12.*
ait: *Apprehendite diſciplinam, &c. ne pereatis,* D. Chry.
*&c.* His veſtigijs inſiſtit D. Chryſoſt. & prius *Ho. de fe-*
dictum confirmat, ſcilicet, quòd admonere ali- *rẽd. repre-*
quem actus ſit amicitiæ; deinde quàm inſipiens *henſ. T. 3.*
ſit, qui diſciplinam repellit: *In peccatis efficiunt*
*reprehenſiones, quod in vulneribus remedia.*
*Idcirco ſicut inſipiens eſt, qui pharmaca reijcit, ita*
*ſtultus eſt, qui non ſuſcipit grato animo reprehen-*
*ſiones.* 30

Hoc proſequitur ex argumento Salomonis: VII.
magnum ſtultitiæ eſſe argumentum, credere, Omnes
quod nulla egeas correptione, & ab omnibus ſis indigent
defectibus abſolutus: etenim ſolus eſt Deus in corripi.

omnibus perfectus & omnibus numeris abſolutus. Quid lucidius, quid ſole venuſtius? illum nihilominus vapores interdum, nubeſque obfuſcant *Quid lucidius ſole, & hic deficiet?* Et quod diximus addit, quod Moyſen corripuerit homo barbarus. Tandem ex his ſumit anſam D. Chryſoſtomus noſtram reprehendendi miſeriam, quod amemus adulatorem, qui nobis noſtra quæque laudibus extollit, & ad palatum loquitur. Heu te infelicem! quam eleganter tibi hoc Iſaias: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Dictio mihi, (vrget D. Chryſoſtom. *a.*) vter maius bonum & optauit & contulit Adæ, vel ſuis diabolus adulationibus, dum illi promittit: *Eritis ſicut Dij*, vel aſperâ ſuâ Deus reprehenſione, dum eius reuelans calamitatem, ait: *Puluis es, & in puluerem reuerteris?* Euge, age chariſſime, te corripientem placidus admittas, dicito cum Dauide: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et cum Salomone: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis.* Verba hæc appoſitè ponderat D. Chryſoſtom. nec non illa Spiritus S. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.* Nullam oſtendens mihi margaritam tam affabre expolitam, quæ ita conueniat, exornetque aurem, nec lapidem inueneris ita pretioſum, qui tanto reluceat ſplendore, ſicut correptio facta ſapienti, quæ locum habet in auribus prudentis, qui feſtinus illi optemperat. Mitor ſimilitudines, omni cõſideratione digniſſimas, quibus modo non vacat inhærere. Hic ad bonidem cadit D. Hieronymi conceptus? hoc inter alia Dei grauiora eminet ſupplicia peccatoribus inflicta, quod illis auferet, qui illos admoneant. Et eo ſenſu declarat illam eiuſdem Domini noſtri ſententiam: *Quia cognoui multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra, &c. Ideo prudens in tempore illo tacebit.* q. d. cum tam grauia & non toleranda ſint peccata veſtra, ſapientibus ora concludam, ne vos deinceps admoneant, neue corripiant: quò fiet vt in ſceleribus veſtris derelicti, certa futura ſit veſtra perditio. Vt quid deplorandum ſuſpirabundus aiebat propheta: *Virgo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam.*

Eccl. c. 17. 30.
Iſa. 3. 12.
VIII. Amamus adulatores, odimus correptores.
a hoc. cit.
Gen. 3.
Pſ. 140. 5.
Prou. 27. 6
Prou. c. 25. 12.
In Amos cap. 5. 12.
Amos 5. 2.

### §. 12. *Confide: quandoquidem tibi præcipiat Deus*, vade, & corripe illum; *ſuum tibi tribuet auxilium.*

VT intermiſſum repetamus propoſitum, dico, quòd licet communiter adeo ſit execrabilis admonitio, vt multoties nullum nedum ſequatur bonum, inſuper & odium contra te ſuſcitetur Vatinianum, non tamen ita omnino diffidendum, vt omnes iudices peccatores eſſe incorrigibiles, nullamque ſpem effulgere vitæ melioris. Primò: Innitendum tibi eſt ac diuinæ gratiæ confidendum, quòd in hoc operè primo tibi loco eſt ſtatuendum, ac fidendum, quòd qui tibi hoc præcipit agendum: *Vade, & corripe*, ſuam tibi gratiam largietur. Apertè ſatis hoc ipſe Dominus declarauit Moyſi, in quo luculenter apparet, quàm hoc acclivè nec non difficilè reputent homines, corripere peccatores, quas non rationes obtendant; & ſiquidem illis iuſtæ eſſe videantur, deſinit tamen Deus, quas proponunt non eſſe admittendas: quod ſubtiliter noſter expendit Cardinalis Caietan. Non immerito rationes illas quis admiretur, quas Moyſes Domino propoſuit, ne illud ageret quod agendum præcipiebat, nimirum Regem argueret Pharaonem. Primum: apparet illi in rubo viſione illa grandi, qua rubus ardebat incombuſtus. Accedit Moyſes viſionem ſpectaturus: vocat illum Dominus: Domine, præſto ſum. Miſereor ſuper populum meum, quem ſeuerâ nimis & iniuſtâ Pharao premit ſeruitute, deſcendi eum liberaturus. Vade ad illum, ſuam illi propone ſæuitiam, quódque illi præcipiam, vt dimittat populum à ſeruitute liberum: *Clamor filiorum Iſrael venit ad me, &c. Deſcendi vt liberem eum, Veni, mittam te ad Pharaonem, &c.* Ex templo ſuam exponit Domino infirmitatem. Domine mi, & quis ſum ego vt vadam correpturus Pharaonem? Ipſe magnus, ipſe potens, ego paruus, infirmus ego, & quid in me Domine tanto dignum reperis ſtratagemate, vt populum liberem, & tam crudelis eruam tyranni poteſtate? *Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Ægypto?* Ex hac te parte non excuſes, ait Dominus: licet autem minima ſit tua poteſtas, mea tamen maxima eſt, quâ nulla maior: *Perge igitur & ego ero tecum.* Alteram ilico profert rationem. Domine, dicere non potero quis ille ſit, qui me miſit,

Caiet. Ibi. Exo.
Moyſes rationes obtendit ne corripiat Pharaonem. Exo. 3.

& ſi

& ſi nomen mittentis quæſierit, exprimere non potero: *Si dixerit mihi, quod eſt nomen eius, &c.* Non hoc tibi remoram faciat. Scito nomen meum eſſe: *Ego ſum qui ſum,* & ſi quando interrogauerit, quod eſt nomen eius, qui te miſit, reſpondebis: *Qui eſt miſit me ad vos.*

Huic & tertiam ſuperaddit, Domine, non credent mihi, nec illis ſatisfiet dicendo, Dominus miſit me: *Non credent mihi, nec audient vocem meam, & dicent, non apparuit tibi Dominus.* Nihil hoc te moueat ait Dominus; quid habes in manu tua? virgam Domine; proijce in terram; quam cum proieciſſet, verſa eſt in colubrum adeo ferum, vt Euro citius fugam Moyſes arriperet. Apprehende caudam eius, hortatur Dominus, ne fugeris: fecit & hoc, & ecce in priſtinam baculi vertitur figuram. Manum tuam extende, ſana eſt, in ſinum reclude: educito illam, & eduxit leproſam. Iterum reclude; recluſit, & ſanam mundamque eduxit. Vade, curre, ſi verò tibi non crediderint, hæc coram illis operare mirabilia, quibus tibi fidem adhibeant, ſi hæc non ſufficiant, virgâ tuâ percuties aquas, quæ vertentur in ſanguinem, &c. His omnibus non mouetur Moyſes, ſed & quartam adducit rationem: Domine, licet omnia ita ſint, vide quia linguæ ſum impeditioris, ac tardioris, vnde nec potero quæ mihi præcipis perſuadere Pharaoni: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius ex quo locutus ſum ad te.* q. d. ex intentione Caietani: Domine, tam impeditæ linguæ, vt, licet tu mihi locutus ſis, & ego tibi, tuque me inſtruxeris, & ob hoc promptioris eſſe deberem linguæ, non ſim tamen, eloquentior. Cui Dominus: hanc dimitte rationem: *Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt eloquentem & mutum?*

Non his credit Moyſes, ſed in apertum æquumque prodit campum, vrgetque acriùs: Domine, vltimatè dico, huic ego non aptus ſum muneri, deprecor, aliũm eligas me digniorem, nec enim mihi tale quid adſcribo temerarius. Hoc ex quorumdam opinione ſignificare voluit his verbis ſuperadditis: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.* Et hoc quidem eo geſtum eſt modo, vt ſacra dicat Pagina: *Iratus eſt Dominus in Moyſen.* Decet igitur, vt, cum ego tuis omnibus ſatisfecerim difficultatibus omneſque obiectas ſoluerim rationes, animumque cunctis tuis addiderim infirmitatibus, impreſſionem facias vehementiorem, dicendo: Nequaquam Domine, neutiquam, idoneus non ſum tanto muneri, quilibet mittatur alius. Indignatur Deus, ſtatuitque vt hæc litteris mandentur, quibus te docet, tuiſque reſpondet obiectionibus, quæ omnes Moyſi ſimiles eſſe demonſtrantur. Heu Domine, quam obduratus eſt Pharao, quàm peruicax: ſic eſt vt dicis, ait Dominus, & ego noui: *Non audiet vos Pharao, ego ſcio, quod non dimittet vos Rex Ægypti.* Nihil refert, ex hoc enim mea iuſtificabitur cauſa, & teſte toto mundo eius damnabitur rebellio: nec tuorum tu iacturam facies meritorum, hoc quoque velim aduertas: ſi tua ſit infirma potentia, mea ad quælibet prædicatur potentiſſima, & qui te mitto, neceſſaria miniſtrabo. O Domine, ſum etenim ineloquens. Ego te faciam eloquentem ita vt nullæ tuæ ſint rationes, quibus omnino hoc tibi munus excutias. Confide Deo: cum enim ipſe te deſignet mittatque, quidquid fuerit tanto ſtratagemati conueniens, prouidebit.

Ex.7.4

Ad hoc ſuppone, id quod communiter aduertit D. Chryſoſtomus magnum nobis à Deo præſtari beneficium, quando noſtro vult vti miniſterio, ad ſuorum operum executionem. Ne fallaciter crediderìs, Deum tibi iſta commendare ac præcipere, quaſi tuâ indigeat operâ nec quando tibi, iniungit largiatis eleëmoſynam id faciat, quaſi non valeat ipſe ſuſtentare pauperem, qui corui potuit Eliam paſcere miniſterio, & populum ſuum manna cœleſti & quocumque illi libuerit omnes aleret viuentes, nec quando tibi præcipit, vt vadas, arguaſque peccatorem, non hoc agit, tui indigus: cum in ictu oculi mutare poſſit lapides duriſſimos in filios Abrahæ, fumum inferni in cœli ſidera, vt patet in Saulo, Magdalena, Matthæo, &c. Hoc autem idcirco facit, vt tibi deferat, ad tam excellens te munus admittens tituloque te honorare volens, adiutoris ſui; vt dicas cum Apoſtolo: *Dei adiutores ſumus.* Qualis foret ille fauor, ſi tibi committeret Deus, vt turbato cœlorum ordine, illum tu reſtitueres? & obſcurato ſole, illum denuo illuminares, Deoque in hoc aſſiſteres coadiutor?

Ho.3 in 1. ad Corint. & 35. ad pop.

II. Deus nos ſuorũ ſumit operum adiutores vt nos honoret.

1. Cor.3.9

Fabulantur noſtri temporis hæretici, ad Sanctos non eſſe recurrendum, nec illis offerendas preces & vota, nec aſſumendos vt mediatores ſeu noſtros apud Deum interceſſores: Deum quippe agnoſcimus adeo miſericordem, vt non leuis ei irrogetur iniuria, alios quærendo apud ipſum, eiuſque filium Dominum noſtrum mediatores & alios præter filium eiuſque paſſionem amariſſimam, apud æternum Patrem interceſſores. O ſtultos, ô deliros! Quid cogitatis,

quod ſuos Dominus ſtatuit Sanctos nobis interceſſores, quaſi in eo defectus, ſit vllus miſericordiæ, vel ſit inſufficiens vnigeniti ſui paſſio medium mortalibus? Minimè gentium: ſed quòd ſuos velit honorare ſanctos, atque oſtendere, quanti illos vt amicos habeat, quo loco ponat; vt velut ipſi quoque ſint ſequeſtri, quorum intercedente ſuffragio, ſua nobis communicet dona miſericordiæ, noſtrorumque tribuat ſcelerum indulgentiam. Etenim pro comperto habetur, in nullo ſic à Rege familiares ſuos honorari, quam quod velit cunctos noſſe, quod multa vigeant apud ſe fide, quodque ipſi ſint quorum gratia ſingularia ſua diſtribuit beneficia, nec hoc eius derogat benignitati, vel in Principis filij ſui cedit detrimentum auctoritatis. Ita ſimiliter oportet intelligas, quòd media quærat Deus, quibus nos extollat, & habeat vnde remuneret, vnde ſua in nobis dona prœmiet. Ad hoc te ſuorum facit operum adiutorem, diuitem, qui paſcat pauperes, Apoſtolos, & prædicatores, vt illuminent mundum, ſintque velut phœbi terrarum; te, vt fraterna correptione proximo medicus accurras, & in peccatum lapſo dexteram porrigas ſurrecturo. Ipſe verò, qui nobis hoc imponit oneris, non ſolos deſtituet: nec vocando nos, vt eius ſimus adiutores, nos pondere preſſos deſerit, quinimo accurrit vt operis auctor principalis ſua gratia, quatenus euentum ſuum opus habeat auſpicatum.

Suos emittit Apoſtolos mundum conuerſuros, & homines idololatriam ſuoſque deſerant Deos, quos adorant, ſuique coluerant anteceſſores. Proficiſcantur, vt gentes arguant indomitas inſtar luporum, & leonum, prædicentque vt vadant velut agni in medium luporum: *Ecce ego*

Luc. 10.

*mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Quid, dic mihi: ſibi agnus exſpectet euenturum, qui balatum pergit coram carniuoro lupo, niſi ſe lupi dentibus fore deuorandum? Quid præſtolari debent homines pauperes, infirmi, inermes nullo nixi fulcimento, profecti, vt prædicent, vt corripiant Reges, potentes, ſapientes? Profecti ſunt nihilominus. Num aliquid effecerunt? Tu videris. Quis Reges conuertit, quis Imperatores? Quis regna ſubegit, quis prouincias? Quando exultauit idololatria? Quis Deorum ſuaſit, quos tantopere diligebant, execrationem? Quis laſciuum induxit, ſuas manu mitteret inhoneſtas voluptates, ſuas auarus facultates? Quis veterum ſcita, moreſque tranſuertit antiquos, & de terrenis in cœleſtes tranſmutauit?

III. Deus quos ad ardua mittit, ſua adiuuat gratia

Deinde, dic, amabo, qua ratione ſunt hæc omnia conſecuti? Fidentes, eiuſque gratia muniti, qui illos ad tam ardua mittebat, dicebatque: *Ecce ego mitto vos.* Ne timueritis, ne diffideritis, attendite, conſiderate: *Ecce*: oculorum aciem in hoc deflectite, quòd ego vos mittam, meum fauorem, ac meipſum vobiſcum circumferatis, qui Patris mei ſum fortitudo cunctipotentis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ſicut me miſit pater, nam mittens me, mecum venit: *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Ita quoque perpendite, quòd mittens ego vos, vobiſcum gradiar, ſoli non eritis, nec ſola erit veſtra fortitudo, huic etenim parum eſſet fidendum, ſed me vobiſcum ſemper comitem habebitis indiuiduum.

Ioa. 20.

Ioa. 8.

Ita præſcius vidit Dauid quô Chriſti celebrat victorias: conſiderat enim Apoſtolos, velut currus perambulantes mundum vt eum ſibi conquirant: illo namque tempore conflictus difficillimi curribus fiebant ferratis. Domine quos mittis currus ad mundum tibi ſubiugandum? Illoſne pauperes piſcatores? Nonne vides illos debiles & qui ſint reſiſtendo infirmiores? Vade, ſecum etenim habent in comitatu millia Angelorum, imo & ipſe Dominus, qui mittit illos, in illis & cum illis progredietur: *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium*, Dominus in eis. Mandat Dominus Moyſi, vt induratum pergat correpturus Pharaonem, vt illum à peruicaci deducat iniuſtitia, quâ populum ſuum detinet ſubiugatum. O Domine, replicat Moyſes, quis ſum ego, vt tale quid operer in Pharaone? Ego correpturus, egone reprehenſurus Pharaonem? Domine interficiet me, & ad infauſtas abiget aues: *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Domine ſunt verba mea contemptibilia, balbutio, quæ cum audierit Pharao, me deridebit, peribitque homicida. Mitte timorem ait Dominus: Ego ero tecum: *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, & cæcum? Nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo doceboque te quid loquaris.* Perpendit autem D. Cyrill. Alexandrin. Quanto Moyſes Deo difficultates obijciebat grauiores, tantò Deus illi præcipiebat ſuam ſtrictiùs legationem, diuinam illi ſuam exponens potentiam: *Maiores fidei neruos addebat.* Inſuper quòd populi de Ægypto liberatio Moyſi non fieret viribus, ſed ipſius Dei Moyſen delegantis. Abditum eſt hoc naturæ ſecretum, quod veniat agricola, meſſem collecturus abundantem,

3. & In pſalm. 57.

IV. Apoſtoli currus dicuntur in curru gratiæ Dei.

Pſal. 67.

Exo. 4.

D. Cyrill. Alexand. Li. 3. de ador. in ſp.

tem, & frumentum in terram deijciat. Cui, quæſo Doctor, tua innititur meſſis futuræ fiducia ? Domine, quòd frumentum, hoc ſit ſelectum, magnamque in ſe contineat virtutem, vt cœlo fauente, radices mittat, & in ariſtas ſpicaſque conſurgat frugiferas. Mea non illi dedit hanc manus virtutem, ſed illam in ſe concludit, cœleſtibus roboratam influentijs. Sanctæ ſermo correptionis, ſemen eſt diuinum : etenim Dei verbum eſt, & viuum : *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio* Hebr. 4. 12.
*ancipiti.*

Denique Deus eſt, qui ſuæ gratiæ cœleſtes depluit influentias, vnde radices mittit, & fructificat. Hoc Apoſtolus Paulus de ſua fatebatur prædicatione : *Verbum Dei creſcit, & fructificat.* Et hoc meæ manus virtuti non tribuendum, qui Coloſſ. 1.
verbum ſemino, ſed ipſius verbi potentiæ quod viuum eſt, cœleſtibuſque influentijs adſcribendum. O quàm copioſam retulerunt Apoſtoli meſſem, ſanctique Doctores Eccleſiæ! Tales quoque tu colliges fructus, non tamen intelligas, tuam eſſe, ſed meam, quæ hoc in facinore operabitur, fortitudo. Incurius ſpargit agricola, vel decidat nucleus, ſiue granum, ſiue amygdalum in ſterquilinium, & poſt paululum germinare vides rubum adeo luxurioſum, quercum, amygdalum, &c. Quis hoc efficit? vis quam in ſe continebat acinus ſeu ſemen, concurrentibus cœleſtibus influentijs. Num igitur in hoc caſu minus diuino fidendum eſt verbo, cœlique concurſui tribuendum? Num forſitan pluris Deo refert amygdalus, cucurbita, cucumer, quàm hominis anima vt credas, quod in illo ſufficiat irrigare nucleum, id eſt ſemen eius, & hic non ſufficiat Dei verbum ſeminare, illud irrigare? Vides alterum in peccatum delapſum, & ire formidas illum correpturus? Vt autem non ſit conatus tuus pernicioſus, imo potius fructuoſus, prius Deum ſic deprecare : Domine, qui mihi præcipiſti : *Vade, corripe* &c. Igitur. *In verbo tuo laxabo rete.* Recogita præceptum hoc eſſe virtutis, vt diximus, charitatis verò proprium eſt credere, ſperare, confidere : *Charitas omnia* I. Cor. 13. 7.
*ſperat, omnia credit.* Bona ſua per arua diſpergit agricola, confidens quòd Deus eius non deerit ſementi, ſicut enim deſiderat, amatque prouentum, ſic bono animo confidens ſuum exponit & triticum, & laborem. Si proximum diligeres, ſi eius optares ſalutem, abſque dubio fructum ſperares, & de Dei miſericordia, prouidentia, bonitateque confideres. His conformiter ſcribit D. Auguſtinus : *Solet fieri &* Aug.
*frequenter accidit, vt ad horam contriſtetur,* Epiſt. 87.
*cum reprehenditur & reſiſtat, & contendat, &* ad felicit.
*tamen poſtea conſiderat ſecum in ſilentio, vbi nemo* & Ruſt.
*eſt, niſi Deus, & ipſe* &c. *Et facit illud,* cirat.
*in quo eſt reprehenſus, & quantum odit peccatum* Tom. 2.
*ſuum, tantum diligat fratrem, quem nouit hoſtem peccati ſui* &c.

## §. 13. *Quandoquidem tentet diabolus ſanctiores, quo perdat, tu corripe quo lucreris, nequiores.*

HAnc rationem mirificè confirmat D. Chryſoſtomus, & poteſt eſſe ſecunda, quâ probemus id quod declaramus. Dicito mihi, 33 ☞
vtrum maiorem habere debet vim, malitia diaboli, vel Dei charitas? Nemo dubitat : nullam eſſe comparationem : cum plus poſſit vel minima Dei charitas, quàm tota diaboli malitia, totuſque infernus. Nunc igitur, reſponde, (quærit D. Chryſoſtomus) quo vſque tendit peruerſa diaboli ſuperbia? Vt fidat, & ſperet, quod ſuis perſuaſionibus, aliquid in ſanctioribus, atque fidelioribus Dei ſit amicis operaturus. Nullus ſanctus, quantumlibet meritis eximius, quem non aggrediatur, ſuæ fidens potentiæ, quod illum ſit euerſurus. Videt pijſſimum Iob, à Deo præter modum laudatum, nec ob hoc diffidit, quinimo hoc ipſo prouocatur ardentiùs, vt in eo, & cum illo malitiæ ſuæ virium capiat experimentum, & ſemel à viro probo repercuſſus, redit denuo, nec illum de tam firma beneque fundata diffidit deturbare ſanctitate. Chriſtum ipſum (inquit Chryſoſtomus) non veretur impetere, & ſuis confidit illum rationibus verbiſque ſuperare, nec id ſemel tantummodo ſed aliàs, & aliàs. Optimè de illo loquitur Dominus ad Iob, ex lectione quam ſequitur D. Hieronymus. *Caput eius in nauibus piſcatorum, ſicut incus infatigabilis*, vbi vulgata noſtra lectio ſcribit : *Cum ſublatus fuerit* &c. Hoc prætendit diabolus, ſanctiores ſubmergere: ſunt etenim illi, qui mundi pernauigant Oceanum, ad cœli portum contendentes. Hic omnem impendit induſtriam, omnem nauat operam: *Caput eius in nauibus piſcatorum,* & quod vna alteraue vice repellatur, ob hoc animum non deijcit, vt ab incœpto deſiſtat puſillanimis : eſt enim velut incus duriſſima, quæ millenis percuſſa non cedit ictibus malleorum ; *Quaſi incus infatigabilis.* Demum quid ſuorum agit peruerſa nequitia miniſtrorum? Hæc etenim quodlibet aggreditur facinus de victoria ſibi fidens obtinenda.

Right margin notes: Ho. 1. de diuit. & Lazaro. & Ho. ad Neophytos, quæ incipit, Benedic. Deus. — I. Diabolus ſemper impetit ſanctiores ſi fortè illos peruertat ſuis fictis viribus. — L. contra Iouinia. — Iob 41. 17.

II. Ita quoq; eius miniſtri licet inde ſibi augeát pœnas.

da. Luxurioſus an non inuadit ganeo ſua ſtimulatus concupiſcentia illam quam nouit ſanctam, & frequentantem Eccleſiæ Sacramenta? Numquid alius ſuâ illectus auaritia furtum meditatur, vbi ſunt facultates ſeris vectibuſque munitiores? Nec animo deſpondent, ſed illo diabolico principio prouocati progrediuntur: *Nihil tentare nocebit*: vnde omnia conantur, omnia moliuntur, omnia præſumunt, vnico meti, forſitan me auſcultabit, forte victor egrediar. Percunctor autem) ait D. Chryſoſtomus) quid per hoc ſibi lucratur diabolus? damnum ſuum, & in quolibet caſu grauiorem ſibi cruciatum. Etenim ſi non præualeat, ſi ſupprimatur, campo cedit confuſus, verecundatur, irridetur. Si præualeat, & quod quærit, perſuadeat, hinc illi dolor acerbior: cum & ipſe, & proſtratus ob hoc pœnis ſint torquendi ſingularibus: hoc enim Spiritus S. D. Ioanni declarauit, dum illi oſtendit, qualiter diabolus, & ab ipſo deuicti colligati in faſciculos: *Simul in ſtagnum ignis miſſi ſunt*.

Apoc. 19. 20. & 20. 9.

Si hoc igitur nequitia poſſit diabolica, vt ardua quæque tentet, ſolis ſuis confidens viribus, ex hoc vno, ſi forſitan, idque de ſuo in quolibet caſu, detrimento ſecurus: quid Dei poterit efficere charitas, quæ hac tanto eſt potentior, & meliori poteſt ratione proſperum ſperare ſucceſſum, atque ad optatam peruenire victoriam? Si præſumit alter ſanctiorem peruertere ex hoc: ſi forte, ſuaque illi ſuggerat concupiſcentia fiduciam, quòd fieri poſſit, illam de ſua exturbet virtute, impudicitiæ ſuæ propellat iacturam; non poterit in te charitas Dei, fiduciam tibi ingerere, quatenus ex hoc, ſi forſitan zeloſus peccantem reprehendas? Trutinant D. Hieronymus & Theodoretus commiſſionem à Domino præceptam Hieremiæ. Mandat prophetæ: pergat, prædicet, reprehendat, arguat populi ſui peccatores, & formâ vtitur loquendi non vulgari: *Sta in atrio domus Domini, & loqueris ad eos* &c. *Noli ſubtrahere verbum; ſi forte audiant & conuertantur.* Vade, admone illos, ſi fortè audiant, & conuertantur. Idem præcipit eadem formula Ezechieli: idque non ſemel: *Dices ad eos, ſi forte audiant, & quieſcant.* Quid hoc rei Domine, *Si fortè* cur hoc ponis? Tunc caſus ignoras euentum, & quòd illis non ſit vatis tui profutura correptio? Hac phraſi Deus vtitur, reſpondent illi, vt arbitrij oſtendat libertatem, & quod de nullo ſit deſperandum, vtque tu noueris, quòd ſi Deus, qui præſcit,

In cap. 26. Hierem.

Hiere. 26. 2.

Ezech. 2. 5. 7.

III. Sic tu quoque peccatores argue ſi forte conuertantur.

non profuturam prophetæ correptionem, præcipit illi nihilominus, vt hoc agat: *Noli ſubtrahere verbum*: Etenim licet ſciat, quòd illam non capient, tamen cum libertate polleant arbitrij, illam poſſunt capere, ſeque conuertere: *Si forte audiant, & conuertantur*; Quantò tu magis, qui hanc non habes ſcientiæ certitudinem, quod te non audient, ſed quod vt plurimum eſt poſſibile, quòd te peccatores audient, illos debes corripere, illos adhortari.

Hæc erat illa ratio, qua (vt notat D. Auguſt.) motus Apoſtolus ſuo ſcribebat Timotheo, vt cum patientia, mentiſque manſuetudine, quoſdam corriperet peccatores, tam pertinaces, vt veritati reſiſterent Euangelicæ: *Eos qui reſiſtunt veritati, ne quando det Deus illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis.* Præſertim vero, (teſte D. Chryſoſtomo) cum tu nihil poſſis perdere: nam vel ſe corripit frater tuus, vel hæret obduratus. Si ſe recolligat ad meliora: proh quam immenſum eſt hoc tibi lucrum: *Lucratus eris fratrem tuum*: quia pro vt poſtmodum dicemus licet totum tibi reſiduum lucrareris mundum, huius lucri nihil eſſet intuitu. Si recalcitret pertinax, tuo non fraudabere præmio, quod coram & à Deo tam magnum obtinebis, ac ſi quod intendebas, eſſes feliciter aſſecutus: *Non mercedem tuam perdes etiamſi non lucreris fratrem* (audio D. Chryſoſtomum) *ſi quæ ad te pertinent agere ſtudoris; ſi quidem Deus non ſecundum bonorum operum euentum, ſed iuxta ſanctorum propoſitum coronas largiri ſolet.* Mittit Dominus prophetam Iſaiam, vt peccatores corripiat: & cum huic operi inſudaſſet impenſius, labore nimio tandem fatigatus, aduertit, quod nedum non conuerterentur, ſed peiores redderentur. Illum quantum coniicio mœrentem video, gementemque vt alterum, audio: *Oleum & operam perdidi*: quocirca ſic ait: Et dixi: *In vacuum laboraui, ſine cauſa, & vane fortitudinem meam conſumpſi.* Nullum retuli fructum, in arena ædificaui, campoque ſeminaui infructuoſo. Num tibi, propheta, debitum ſubtrahendum erit præmium? Nequaquam: etenim prœmij mei cauſa, ſpeique mercedis, non illis innititur, ſed Deo, & coram Deo tantam merui laboris mercedem, ac ſi opus perfeciſſem animo præſtitutum: *Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum coram Deo meo.* Cum Deo pactum inivi, illi ſeruio, ab illo repeto, meumque ſpero diarium.

2. Tim. cap. 2.

IV.

V.

Has

Has rationes mellifluâ ſuâ, doctaque deſcripſit ſubtilitate D. Bern. ad Eugenium qui licet ad ſummum euectus honorem Pontificatus, multum deferebat D. Bern. vtique quondam patri ſuo ſpirituali; à quo requiſiuit, quid ſibi pro felici Eccleſiæ regimine agendum incumberet. Hac occaſione inſcripſit illi D. Bernardus quinque libros: *De conſideratione*, prænotatos. Huic autem particulariter inſtat, vt diligentem ſuſcipiat curam, corripiendis quibuſdam peccatoribus, infatis adeoque proteruis, vt nullum paterentur ſuperiorem: *Gens inſueta paci, tumultui aſſueta, gens immitis, & intractabilis, vſque adhuc ſubdi neſcia* &c. Aſſero, Pater Sancte, te tales teneri reprehendere, eorumque procurare ſaluationem. Nunc ſcio: *Rides me forſitan, fore incurabilem perſuaſus.* Non hoc te excuſat, Primò: non enim tu ſolus hoc agis negotium, ſed Dei manus, cuius potentiæ perfacile eſt vnico verbo de lapidibus viros ſuſcitare ſanctiſſimos: *Scio induratum cor populi huius, ſed potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Memento, quod dicat propheta: *Quis ſcit, ſi reuertatur, & ignoſcat, & conuertat & ſanet eos.* Secundò: ac principale tibi notandum, quòd non à te Deus requirat, vt de facto conuertas peccatorem, ſed id agas, quod eſt ex parte tua, tibique poſſibile. Non enim dicit: *Sana eum*, Sed *corripe eum.* Qui ſic tibi loquitur, non tibi curationem præcipit, ſed curam: *Curam exigeris, non curationem.* Ad huius confirmationem expendit primò Saluatoris noſtri verbum in parabola, de eo qui incidit in latrones, illum enim attollens Samaritanus ducenſque in hoſpitium, non ait hoſpiti, nec ab illo requiſiuit, vt hominem illum à vulneribus ſanum curaret, ſed ſolicitam eius curam ſuſciperet: *Audiſti, Curam illius habe, & non cura vel ſana illum.* Et bene quidem ſic loquitur. Nouerat enim Saluator noſter melius quàm Ouidius quod non imponitur obligatio medico, ſanandi ægrotum, ſed vt ſolicitus ea præſcribat remedia, quæ medica prælegit ſcientia infirmo conferenda: *Verum dicit quidam. Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger.* Si præſtet, quantum in ſe eſt medicus, infirmus licet non conualeſcat, ſed ob peruerſas ſuas moriatur qualitates, ſua manet illi laus condigna.

Notat ſecundò: doctrinam Apoſtoli, diuinæ adſcribendum miſericordiæ, eiuſque liberalitati non paruæ, quòd mercedem noſtris operibus præſtitutam, eorum non alligauerit effectui, bene quidem labori, quem ad illos eius amore ſuſcipimus: *Vnuſquiſque accipiet ſecundum proprium laborem.* Etenim ſciebat, quòd crebro labor propè foret immenſus, & effectus vix vllus, quodque non raro conqueri pij poſſent operarij cum D. Petro: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Hinc, inquit, procedit, quòd licet effectus, quem D. Paulus in peccatoribus operabatur, eſſet non minimus, de illo non gloriabatur, ſed de labore conuertendis impenſo peccatoribus: *Paulus loquitur* (loquitur & Bernardus) *Plus omnibus laboraui: Non ait: Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui, verbum inſolens religioſiſſime vitans. Alias autem nouerat bono, quia vnuſquiſque ſecundum ſuum laborem accipiet, non ſecundum prouentum; & ob hoc in laboribus potius quam in profectibus gloriandum putauit: ſicut alibi quoque habes ipſum dicentem: In laboribus plurimis.* Hoc expoſcit à te Deus, vt tu quantum in te fuerit, proximi ſaluti impendas, hoc enim perfecto, nihil vltra requirit, & tua tibi manent merita: *Ita fac tu quod tuum eſt, nam Deus quod ſuum eſt, ſatis abſque tua ſolicitudine, & anxietate, curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explicuiſti partes. Tibi nihil deperit, dicente Scriptura: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum.*

Ad propoſitum expendunt D. Chryſoſt. *a.* D. Auguſtin. *b.* parabolam talentorum. *c* quod illi *d*, quod Dominus ſeruis ſuis præcepit, quando ſua illis tradidit talenta, non ea mente fecerit, vt illi lucrum referrent ex illis reportatum, quibus negotiabantur, ſed hoc tantum, vt ipſi ex illis talentis his & illis diſtribuerent. Dominus autem ipſe lucrum repeteret, vnde ſic alterum reprehendit: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam & ego vtique veniens cum vſuris exegiſſem illam d.* Cur ad cambium meam his & illis non dediſti pecuniam, & ego ab illis exegiſſem eius rationem (q. d. interprete D. Chryſoſt.) vos ad hoc tantummodo conſtringo, vt Dei pecuniam erogetis ad vſuram, hoc eſt verbum ſuum diuinum, ſuam doctrinam, ſuam correptionem, ad conuertendum, lucrandumque peccatores. Si his illi non reſpondeant, ab illis ſeueram Deus repetet rationem, ſtrictoque reſidebit tribunali quo fructu illas acceperint ſibi facultates, & cur lucrum non retulerint exſpectatum. Proinde, ſi tu tua non ſuccuris correptione peccatori, hunc ob ſua puniet ſcelera te verò ob omiſſam plectet correptionem. Porrò ſi illum admonueris, tibi dignam rependet pro eo mercedem, quod in gratiam feciſti peccatoris, alterum verò pro peccato-

ſuo

c Lib. 4. de conſid. ad Eugen. non longe à princ.

V. Mercurio ſed ... Epiſt. Pont. lib. 4.

VI. Merces non effectui, ſed labori promittitur.

1. Cor. 3. & c. 15.

Luc. 5. 5.

D Bern.

2. Cor. 11. 23.

Sap. 10. 17.

a Ho 3. contra vituperatores monaſt. & orat. 4. & 5. contra Iudæos & hæret. & Ho. 32. & 41. in Gen.

b In prologo doctrina Chriſt.

c Matt. 25 & Luc. 19.

d Luc. 19. 23.

VII. Allegoria de talentis.

ſuo caſtigabit ſeuerius, eo præſertim quod à te traditam, non ſuſceperit correptionem, nec ſaluti ſuæ conſuluerit, nec illum aſſumpſerit funem, quem illi, ne mergeretur, adieciſti. Eritque hic articulus ſingularis, ad formandum æternæ ſuæ proceſſum damnationis pro vt dilucidè Dominus per Ezechielem his verbis declarat, quæ ex ſententia D.

L. de corr. & grat. c. 16. quod eſt vltim. Augustini, omnes eneruant oppoſitas rationes, eorum qui dicunt: Domine mea nequiquam emendabitur correptione: *Si non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via ſua impia, & viuat, ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuerſus &c. ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Hoc opus illi ad grauiorem cedet damnationem, tibi vero ad ſalutem, præmium, mercedemque infinitam.

Ezec. 3.17.

Infert igitur ex his D. Chryſoſt. & efficaci

VIII. Similitudo. contra te vrget ratione. Sit ita, quod agricola ſeminet, necdum nulla ſecurus de meſſe, ſed quòd fieri poſſit, quod quidquid agit, inutile ſit & ſibi pernicioſum, quoque ad extremam redigatur fortunam, vt eorum plurimi, annis ſterilitatis, & quòd ſæpè ſæpiùs mittat piſcator ſagenam, nulla alterius fiducia fretus vtilitatis, quàm temporis perditionis, & patientiæ. Alius denique naui marique ſe committat, nullius certus lucri, ſed ſe ſuaque omnia maris fluctuum exponens diſcrimini. Tu verò, qui certo certius noſti nihil tibi hoc in caſu poſſe deperire, ſi correptionem ſeminaueris, ſi rete fratri tuo capiendo expanderis: quia quemcumque res euentum habuerit, certa ſemper ſpectat te merces, ſalua ſunt tua tibi præmia, mentis tamen adeo vitias iners, & excuſare te poſſe tibi perſuadeas hac friuola ratione: nullam referam vtilitatem? Caue ne tibi Deus improperet: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego vtique veniens, cum vſuris exegiſſem illam.* Quadrant optimè propoſito verba D. Auguſt. *Quid*

D. Aug. Tract. 10. in Ioan. To. 9. *mihi eſt curare aliena peccata? ſufficit mihi animam meam integram ſeruare Deo. Eia, non tibi venit in mentem ſeruus ille, qui abſcondit talentum, & noluit erogare? Numquid accuſatus eſt, quia perdidit, & non quia ſine lucro ſeruauit?*

## §. 14. *Si hac vice fructum non feceris, alterâ facies, & Dei cauſam iuſtificabis.*

ALiam addit confirmationem D. Chryſoſt. quam vt tertiam ponimus rationem. Dic mihi, precor, quando robuſtiſſimam quæris quercum demoliri, quam vix extenſis vales complecti brachijs, vel pergis de caute ſeu rupe diſſecare lapidem prægrandem, quid tibi proſperi ſucceſſus ingerit quæſo, fiduciam? Qua tu præſumis ratione quercum proſternere, quæ ſtat æris duriſſimam, & quæ ſingulos repercutit ictus aſciæ? Quo modo lapidis diſſecare fragmen, quod malleo contuſum ſcintillas exhibet ardentiſſimas? Dices, Domine: quia non vno deſiſtam ictu vel duobus, ſed ad centum vſque & mille ſi neceſſe fuerit, ingeminabo infatigabilis. Proximus tuus impudicus ſcortator, quercus eſt (inquit D. Chryſoſt.) glandes germinans deliciarum, aptum paſcendis porcis alimentum, huic etenim, vt alter prodigus ſedulus intendit operi. Ne putaueris, quòd vnico illum ictu ſis deiecturus, ſed ictus ſunt iterandi, ſæpius ex hac & illa parte corripiendus. Petra eſt, quam ſi correptionis aſcia percuſſeris, in te ſcintillas eiaculabitur. Non hoc te deterreat, redi, verbera multiplica, confide, quòd tandem aſpirante Deo de vita ſua peruerſa illum ſis reſecturus: *Quomodo vno die cadet* (loquitur D. Chryſoſt.) *quæ tanto tempore radices miſit? Si enim bis, ſi ter, ſi centies, ſi millies, &c.*

Phraſis hoc declarat S. Scripturæ, quæ corripere, monere, prædicare, vocat ſeminare, vt notarunt D. Chryſoſt. *a.* D. Baſilius *b.* & hoc ipſum indicat Spiritus S. termino vſus ſeminandi: *Labia ſapientum diſſeminabunt ſcientiam.* Expertus agricola; (loquitur D. Clemens Papa ex perſona D. Petri.) non ideo, quia non feliciter ſucceſſit, nec fructum attulit quod ſemel ſeminauit, ab opere deſiſtit, nec vltra reuertitur, quinimo hoc repetit opus animoſior: iam enim dixit Spiritus S. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua, &c. Debet ſe habere Doctor ad modum ſeminantis,* aiebat D. Petrus.

Hæc eſt D. Ambroſij, ſententia: ſubtiliter enim expendit, quod Noë egit cum columba. Primùm emiſit columbam de arca: *Quæ cum non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* Noë columbam introduxit, & ſeptem diebus ſuſtinuit. Modo videamus, ſi diminutæ ſunt aquæ & iterum emiſit columbam:

Hi

Vt aduertas (audi monentem Ambroſium) *quod bonum ſapientis optimumque propoſitum ſemper ſtudet errantes emendare, corripere vagantes, ſi quem in principio reſilire conſpexerit, tamen communicandi & corrigendi non deſperet profectum.* Aduerte (inquit) quod tādem reuerſa ſit ad eum columba ramum portans oliuæ virentibus folijs victoriæ triumphique memoriale: ad te quoque pacificus reuertetur ille qui primitus ſe tibi monſtrabat inſenſum & grauiter offenſum, oleum ac lucem retinet, qui ramum mittit oliuæ ſmaragdinum. Quid plura? diuinè nos hoc docet Saluator noſter, quòd ille qui nos hodie voluit ob dictam veritatem obruere lapidibus, mane altero mutari poſſit. Etenim hoc dedit diſcipulis ſuis reſponſum, remeare volens in Iudæam Lazarum ſuſcitaturus. O Domine, obijciunt diſcipuli: *Modo te volebant Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Apage, reſpondet Chriſtus: *Nonne duodecim ſunt horæ diei,* & breui temporis ſpatio mille ſubiacet homo mutationibus. Celeberrima eſt illa D. Auguſtini propoſitio: *De nullius hominis correctione deſpera, quem patientia Dei vides viuere non ob aliud, ſicut Apoſtolus ait niſi vt adducatur ad pænitentiam.* Tandem aduerte, (aduertit D. Chryſoſtomus) quòd Deus ipſe, ſciat licet quòd ſuam peccator repellet correptionem, inſpirationemque reijciet, quam intus in animam immittet, imò quòd illam parui pendet, contemnet, non deſiſtit tamen à corripiendo, monendo, illique ſceleris ſui demonſtrando fœditatem: *Tametſi Deus, cui explorata ſunt futura, ſæpè dixit, & nihil perfecit, & neque ſic deſtitit tamen, præſciret licet, non eſſe perſuaſurum.* Suam vult Deus cauſam iuſtificari, cunctis vt liqueat, quod in nullo defuerit peccatori, nec vllo poſſit hoc tempore hanc obtendere rationem: Me monuit nemo.

D. Ambr. 3. off. cap. 15. Tom. 1.

Ioan. 11. 8. 9.

D. Aug. l. de Cathechiz. rud. c. 26. Tom. 4.

D. Chry. Hom. 44. in 1. ad Corinth. Tom. 4.

III. Deus peccatorem corripit licet præſciat, quod ſe non correcturum.

Ita miſit Moyſen ad Pharaonem, vt eum corriperet, moneretque iam hoc, iam illo modo, nunc verbis, nunc ſupplicijs. Noueratne Deus quòd Moyſes oleum & operam perderet? vtique: quinimo præmonuit de hoc Moyſen: *Non audiet vos Pharao.* Ad quid igitur iubes, vt illum adeat reprehenſurus? Vt pateat quod ex mea parte non defuerim illi quod ad eius emendationem erat neceſſarium, eiuſque clariùs ſit iuſtificata damnatio. Eodem modò præcipit Ezechieli, pergat, & arguat populi ſui contumaces, quem tamen præmonet; ſcito chariſſime, quòd ſurdo canes, lauabiſque lateres, illis non proderit tua correptio, quinimo ferociùs irritabuntur, & in te rebelles excandeſcent: *Domus exaſperans eſt, & irritatores ſunt.* In quem igitur finem mittis prædicatorem? Vt conſtet omnibus, quòd quantum in me fuit, debitum adhibui remedium, & eorum ſit culpæ adſcribenda perditio, tuque in iudicio teſtis ſis fideliſſimus, quod illos meo nomine corripuiſti, ſtatum illis aperuiſti periculoſum, in quo viuebant ſalutis incurij, nec non diſcrimen animæ manifeſtum, hæc omnia nihilominus ſunt aſpernati. Ipſe redemptor noſter præſciebat, ſuam à Iudæis doctrinam fore repellendam, imo quòd cum in prædicationis ſuæ mercedem in crucem eſſent acturi; illum nihilominus aduertis, iterato reuertentem, & ab Euangeliſta continuò illud intelligis: *Iterum dixit illis Ieſus.* Vt quid Domine? Ad id ſcilicet, quod ipſe ait: *Iuſtificata eſt ſapientia à filijs hominum.* Eadem de cauſa Chriſtus prædicit, quòd mittere velit prædicatores, & prophetas, præſcius tamen, quòd illos non eſſent audituri, quid dico, audituri: potius cæſuri, lapidaturi, occiſuri: Ita vt dicere Domino licuerit per Oſeam, quòd ipſe illos occiderit: *Occidi eos in verbis oris mei.* En quam ſtrictè præcipiat, corripiant, moneantque peccatores, non ſolum cum vitæ propriæ diſcrimine, ſed mortis ſuæ certitudine, & non ſolum ſine vllo in correptis fructu, ſed cum certa ſcientia, quòd in ſceleribus ſuis eſſent morituri. Hæc omnia ea mente, vt propalam ſit contra te iuſta Dei ſententia, quòd ambabus ſibi ſuccurrerit manibus auxiliator, per ſe ipſum interiùs, & per prædicatores, aliosque qui te corripiunt, exteriùs, tibique poſſit improperare: *Quia vocaui vos & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo &c.*

Exod. 7.

IV. Vt oſtendat ex parte ſua non defuiſſe.

Ezech. 3. 7. 8.

Ioan. 8. 8.

Matth. 11. 29.

Oſe. 6. 5.

Prou. 1. 24

Ex his argumentum ſumit D. Gregorius Nyſſen. *Nonne Iſaias docens pietatem & veram religionem ſerra diſſectus fuit? Nonne Hieremias ſua prædicatione abdicans & abigens idololatriam, clamore populi fuit accuſatus, eumque exceperunt ciſterna, & cataractarum cruciatus? Nonne Zacharias inter templum & altare? &c. Nos autem nondum pro veritate colaphis cæſi ſumus &c.* Idem argumentum proſequitur D. Chryſoſtomus: Quid mihi obijcis, quod ſi talem arguero peccatorem, vapulabo? Quæ non inſulſa perfert verba medicus à phrenetico, quos non impetus quibus in eum excandeſcit, & nihilominus non deſiſtit à curando medicus, & corporis ſaluti conſulen-

D. Greg. Nyssen. *Orat. aduerſus eos qui ægre ferunt reprehenſ. ad finem.*

V. Etiā noſtro periculo ſunt corripiendi peccatores.

*Orat. 1. contra Iud. ad finem.*

ſulendo, quanto tu magis proſpicere debes animæ incolumitati? Paulum Apoſtolum conſidera. Quid agis cœleſtis prædicator? Totus ſum in curando, reprehenſione, doctrinaque mea peccatores. Quinam ſunt, obſecro, illi? Iudæi & Gentiles. Quomodo te habent? Me Iudæi flagellis cædunt: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi.* Gentiles me colaphis irrident, & affligunt: *Gentibus ſtultitiam* &c. Num idcirco deſpendes animo, reprehenſionem intermittis? Haudquaquam nec ab incœpto deſiſtam, quamdiu anima iuncta corpori ſuperuixero: *Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem quam me, dummodo conſummem curſum meum & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu.* Nouerat vtique Apoſtolus: quàm ſit anima Deo pretioſa, qui pro ea ſanguinem ſuum vitamque conſignauit. Tu ergo pro illa, nec verbum dabis correptionis, admonitionis, exhortationis? Fuſiùs hæc inſequitur D. Chryſoſt. quem legiſſe delectabit.

2. Cor. 11. 24.

## §. 15. *Corripiendo tempus ſectare opportunum, ſicut Onagri venatores, & Tobias cum piſce.*

☞ 38.

EX eadem ratione, cum ſit hoc præceptum affirmatiuum tempus requirit opportunum, ſicut confiteri, audire miſſam, & debiti ſolutio non enim deceret, vt media nocte pergeres debita ſoluturus, quando ſuis concluſis ædibus creditor in lectulo ſuauiter obdormiſcit. Et ſi quæcumque aguntur: vt prudenter agantur proprium ſibi commodumque, requirunt tempus, vt latiùs oſtendit Salomon: quanto magis fraterna correptio: quia tali tempore illum apprehendes quo de illo facies quidquid placuerit (a) & altero, quo te diabolo deuouebit, vitæque perdendæ exponet diſcrimini. Quòd autem particulariter, (inquit D. Chryſoſtomus) tibi venit attendendum, hoc eſt, nec illum acceſſeris correpturus, quo tempore paſſione male ordinata feruentiùs corripitur: tunc enim, vt ait Salomon: *Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in ſtultitia ſua.* Expecta donec ſe remiſerit: etenim tunc fructum ſuum referet correptio copioſum.

Eccl. cap. 3

(a) *hareis del cera y paulo.*

D. CHRY. *Ho. de fid. Anna.*

*Prou. 17. 22.*

1. Chriſtus aſcendit

Aduerte quòd Redemptor noſter Hieruſalem aſcenſurus ad diem Paſchatis celebrandum expectauit donec feſti celebritas mediaret: *Aſcendit iam die feſto mediante.* Non aſcendit ipſis prioribus feſti diebus, ſed tranſactis quibuſdam dum iam ſolemnitas mediaret. Licet congruum fore videretur, vt ſtatim in ipſo feſti principio aſcenderet, cum enim eſſet illa Paſchatis ſolemnitas in honorem cultumque Patris ſui, videbatur ratio exigere, vt à primo iam die cum alijs eius celebrationi intereſſet. Quare in hoc ipſum primum adeſſe oportebat, cum poſtmodum vt Magiſter alios in ſe ipſo docturus eſſet diligentiam, ac ſedulitatem, qua ad ea quæ Dei ſpectant obſequium eſſet accurrendum. Et hoc eo liquidiùs oſtenderet, quo citius ipſe alios anteuertiſſet. His non obſtantibus optimè quadrat (a) quod non in principio, ſed feſto mediante aſcenderit: cum enim in templo prædicaturus aſcenderet, peccata Hieruſalem, cæteroſque peccatores correpturus, diuinæ ſuæ fuit opus prouidentiæ tempus obſeruare; quo omnes eſſent parati, & hora opportuna populo prædicandi. In ipſo Paſchatis exordio prioribus diebus omnia tumultu turbabantur & clamoribus, ex omni namque confluebant regione, ad diei celebritatem, & accedentibus Hieruſalem prima erat ſolicitudo conquerendi hoſpitia, quibus quieſcerent, ſi mutuo fauſtum apprecabantur aduentum: quia velut in primo occurſu, cognatorum amicorumque illos notitia obligabat, ſibi inuicem congratulari, viſitare, recreare, vnico verbo, ſtrepitu cuncta miſcebantur. Porro circa Paſchatis exſpirationem, vltimis diebus, omnes profectionem cogitabant, ſibi valedicebant, & ad iter faciendum omnia diſponebant: cuncta ergo hæc illos reddebant inquietos, nec concio, fraternaque correptio, tantæ reſpondet inquietudini: ipſo autem feſto mediante, nihil erat quid ſimile timendum, omnes erant tranquilli, ſedati omnes: Tunc igitur Chriſtus aſcendit prædicaturus: *Iam die feſto mediante:* Tempus etenim opportunum docendi, reprehendẽdi, & occaſio optima, vt effectum correptio ſortiatur, hæc eſt, quando terrenis anima tumultibus libera conquieſcit.

Hoc D. Paulus profunda quadam expendit doctrina: *Obſecro fratres vt abundetis magis, & operam detis, vt veſtrum negotium agatis.* Quod tibi principaliter eſt curandum, vt fructum in te Chriſti doctrina operetur, eſt quietudo ſpiritus, animæque tranquillitas. Hac enim tuum ages optimè negotium. Hoc vnicum noſtrum dico negotium, in Chriſti proficere doctrina: hoc etenim noſtra redditur ſecura ſaluatio, quod eſt nobis cea-

conueniens maximè negotium; mundi quippe carniſque tractare negotia, à nobis eſt non parum alienum. Veſtrum agite negotium, vt autem hoc properè feliciterque ſuccedat, mentis ſtudete tranquillitati: licet namque iam temporis affectus te moueat, lucrum temporalium, carniſque delicia, hac mentis quiete non moleſte feres prædicatoris, fratriſque tui correptionem, nulloque labore deſiderium tuo imprimetur cordi cœleſtium. En tibi ſtagnum quietum & tranquillum, quàm ſunt eius aquæ planæ, ſedatæ, quaſi ſtagnum eſſet olei, illuc accede, & in eo videbis tibi præſentatum, & velut ſuis ornatum ſtellis firmamentum, arbores illud circumcingentes, imo & teipſum propria expreſſum figura conſpicies. Porro parumper exſpecta, donec aquæ conturbentur, & nihil horum, quæ prius vidiſti, te modò videre miraberis. Quis hoc egit? Aquarum turbatio. Viſne tibi cœleſtium inſculpat prædicator affectum? Viſne tibi proximus fraterna correptione tuum proponat peccatum, peccatique fœditatem? Animam tuam compone. Etenim hac quietudine, non magni laboris eſt illi imprimere, quod tibi conducat, quo tuum peragas fructuoſe negotium; ſcilicet, quo ſyncerè & ſerio de peccato mediteris egreſſum, tuæ ſalutem animæ complectaris. Animâ quippe non mediocriter inordinata turbatâ paſſione, vix vllam referet correptio vtilitatem. III. Simili-tudo

Correptio ſeruit intellectui, quatenus illi hoc ratio demonſtrans, quod ne videat impedit cœcitas paſſionis, criminis videlicet enormitatem ab eo non retrahat voluntatem: ad hoc inſtituitur correptio: quo namque tempore paſſione turbatur intellectus: ratio in eo nihil efficiet. Hoc igitur tempus obſeruetur, quo tranquillus eſt & remiſſus, tunc autem ad bolidem cadet admonitio, nec non intellectus voluntatem alliciet ad odiū, fugamque peccatorem. Eſt enim hominis intellectus, dux voluntatis. Quàm concinnè Dominus Moyſi præcipit qua ratione cortinas tabernaculi cooperiat: *Quinquagenas anſulas cortina habebit in vtraque parte inſertas, vt anſa contra anſam veniat, & altera alteri poſſit aptari.* Tali vult modo cortinæ connectantur: *Vt cortina cortinam trahat.* Connexæ ſunt tabernaculi cortinæ Viſne trahere ſecundā, trahe primā. Ita ſe habent intellectus & voluntas, promptè namque ſequitur voluntas, ſi prius attrahat intellectus &: ſicut quietem deſiderat intellectus, vt in eo ratio operetur, quæ illum atrahat, ita ad hoc tempus requiritur faciendæ correptionis opportunum.

VII. Allego. in Exod. 26.

Admodum elegans eſt illa D. Ambro. ſententia, ſolicitudini innixa medicorum, qui, vt infirmo præſcribant purgationem, tempus exſpectant, quo maturiùs humores ſunt diſpoſiti: *Si medicus medendi tempus exſpectat, vt digeſtis ægritudinibus medicinæ ſubſidia deferantur, ne acerba adhuc, & immatura (vt aſſerunt) ægritudo, curationis remedijs reluctetur: quanto magis explorare nos conuenit, vt maturè & opportunè medicinalis ſermo procedat, qui non accendere luctum, ſed lenire videatur.* D. AMBR

De aſina Syluestri, alias Onagra, refert propheta Hieremias quòd quo tempore copulæ deſiderio incaleſcit, nullus eſt qui eam capiat, currit enim inſtar venti ſeptentrionalis. Vnde ſagaces venatores, nullas illi capiendæ tendunt inſidias, ſed tempus obſeruant quo partus doloribus cruciatur, etenim illo tempore inſtar agniculi manſueſcit. Hoc illis ſignificatur: *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui, nullus auertet eam, omnes qui quærunt eam, non deficient, in menſtruis eius inuenient eam.* Currit hic vt Onager ſuis inſiſtens deſiderijs, toto præuolat impetu. Dimitte illum, modo tempus non eſt illi capiendo congruum, obſeruandū dū doloribus anxietur, occaſionem ſume, dum eum aduertis ex vnici filij morte, ex bonorum iactura, ex morbi grauitate non modicè contriſtari, tunc diligenter accurre, tuos extende laqueos. Attende Domine precor, ne tu ſis tuarum culpa calamitatum, ne illo tui te ducant greſſus, recogita quomodo coram Deo tua ſe habeant negotia, mente reuolue, ne in hoc & Deo gratus non reſpondeas, ſcrutare conſcientiam quoties Dominum exacerbaueris. 39 VI. Peccator vt Onager eſt capiēdus. *Hier. 2. 24.*

Quinimo & ipſe Deus nulli alligatus tempori, ſuis in actionibus liber, horam exſpectat conuenientem (inquit D. Chryſoſt.) Quænam, arbitraris, fuit ratio, cur eo temporis momento, quo Dauid deliquit; non illi Nathan miſerit, continuo? Numquid opus illi eſt obſeruare tempus, temporum gubernatori? Minimè, continere ſe voluit, tempuſque exſpectare, vſque dum paululum Dauidis paſſio deferueret: *Vidit in ipſo peccati vigore obcœcatam animam, & obturatas aures.* Quid te deceat, parumper exſpectes, nec velox accurras alterum correpturus, quādo grauius paſſione, quaſi mentis impos perturbatur. O Abigail prudentiſſima, cuius D. Gregor. ponderat diſcretionem quam non latebat viri ſui Nabal Erymnis furibunda, qua peſſimè Dauidis exceperat legatos, qua VII. Deus ipſe tempus ſpectat opportunum. D. CHRY. *Hom. 5. de pœnit. Tom. 5. 3. p. paſtor admon. 17. & Ho. 11. in Ezech.*

vitam ſuam, ſuas facultates, totamque familiam periculo ſubiecerat, manifeſto. Damni, vult admonere virum imminentis, videt inebriatum. Tacet ſagax mulier, dormire ſinit, donec vini digerantur humores craſſiores quibus inops iudicij detinetur; hoc egit quod poſtmodum Spiritus S. conſulerat: *In conuiuio vini non arguas proximum.* Mane verò, vt virum vidit ſibi redditum, mente tranquillum, omnem rei geſtæ narrat ſeriem, aperit, cui exponebatur, periculum, quo ſic vt nihil magis, confunditur, animoque perterretur incredibiliter. Hoc à te requiritur, quod ſi frater vino paſſionis abſorbeatur, & velut iudicio mentis orbatus inſoleſcat, credisne eorum quæ illi dixeris ſit aliquid auditurus? Num tibi perſuades, quod aduertet diſcrimen quod illi proponis, ſi appetitus violentia ſupra modum perturbetur? Dimitte illum, conquieſcat paulisper, vt enim congrè notat D. Gregor. *Ipſa eadem perſona ſecundum factum ſit altera.*

VII. Abigaelis prudentia in corripiendo virum.

*Eccli.* 13.

D. GREG. *Hom.* 11. *in Ezech.*

☞ 40

Nullum reperi medicum adeo inexpertum, qui purgationem præſcripturus, qua totum alterandum eſt corpus, non prius ſtudeat humores, medicis potionibus præparare, ſpectare tẽpus, obſeruare lunam, nec non aëris temperiem notare, hocque non ſemel, ſed ſæpe ſæpiùs: etenim ventris euacuatio, quæ tempore congruo præſcripta valet releuare infirmum inopportuno tempore exhibita, poterit vitam adimere languido. His conformiter notat Lyranus Ionath Principis, filij Saulis prudentiam. Vidit hic die quodam Patrem ſuum omnis impotem adeo conſilij præ nimio in Dauidem odio, vt ob nominis tantum expreſſionem; lancea voluerit illum perfodere, muroque configere. Silet tum temporis, prudenſque diſſimulat adoleſcens, at poſtmodum vt ſe paſſionis ardor remiſerat, patremque vidit per campos alacrem, fronteque exporrecta, nulla grauatum paſſione, hunc cum eo ſermonem inſtituit. Domine mi Rex, numquid gratum tibi foret, ſi de Dauide inter nos paucis diſſeramus? Non aliud poſſum opinari, quàm Dauidem ſiniſtris apud te falſiſque criminationibus accuſari. His exorditur, patrique loquitur, & inſtar chirotechæ illum reddit plicabilem, ac placabilem; vt filio reſpondeat. Equidem tuis aſſentior, fili mi, rationibus: *Viuit Dominus, quia non occidetur.* Eſt autem hoc illi conſilio conforme, quod dedit olim Angelus Tobiæ iuniori, referente ſic S. pagina: hic ad ripam fluminis Tigridis accedens, piſcem videt immanem feris voracem dentibus, à quo ſe timebat deglutiendum. Exclamat, & Angelum inclamat: *Domine inuadit me*, Fili mi, monet Angelus: *Trahe eum ad te*, de fluminis inundantis impetu, quem continuò gaudebis inſtar agni tractabilem: nec fallax promiſſio: nam in ſiccum attractus: *Cœpit palpitare.* Hoc tibi prædico agendum cum proximo tuo. Formidas, ſi ne fratrem acceſſeris, ab illo te devorandum? Illum de rapidæ paſſionis torrente extrahe, donec ſe remiſerit, exſpecta, & & eum pacificum eſſe mitemque lætaberis.

IX. Ionathæ quoque prudentia.

1. *Reg.* 19. 7.

X.

Hoc nobis duabus innuit Spiritus S. ſententijs. Quarum prima hæc eſt: *Sapientes abſcondunt ſcientiam, os autem ſtulti confuſioni proximum eſt.* Legunt alij: *Sapientes diſſimulant ſcientiam.* Quod ſæpius ſapientior, & qui melius nouit peccata proximi, celat illa ſilentio, diſſimulat, vt Redemptor noſter Christus: quem peccata non latebant Samaritanæ, multo tamen tempore prius diſſimulauit, & quaſi nihil horum ſciret, ſubticuit: attamen poſtmodum, tempore congruo illi cuncta propalauit, effectu optato, vt ipſa nedum melior euaſerit, ſed & facta fuerit Apoſtola, cuius vocibus tota ſit in ſtatum reducta ciuitas meliorem. Altera ratio, ſit hæc, ſuppones quod duabus de cauſis quis poſſit intermittere correptionem: vel quia peccata ignorat, vel quia nunc tempus non patitur, illud eſt ignorantis, hoc verò ſapientis: *Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ, & eſt ſapiens tempus aptum.* Etſi qui tacet, quia loqui non nouit, & eſt qui tacet, quia ſapiens eſt & prudens: *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus, laſciuus autem & imprudens non ſeruabunt tempus.* Non quàm primum proximi noueris peccatum, illud expedit vt corripias, ad tempus ſile, ſi aptam non eſſe videris occaſionem: nihil enim ita tempus requirit opportunum, quàm ſermo, vt alteri ſit fructuoſus. Idcirco ſemini comparatur, quod tempus expoſcit ſingulare, terræque præparationem, vt fructum adferat abundantem. Semina menſe Iunio triticum, aut quando terra præ nimia ſiccitate marceſcit, & tribulos ſpinaſque colliges. Quando ſuo dicitur verbum tempore, nihil conuenientius, quod Spiritus S. hac declarat ſimilitudine: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore.* Quando verò tempus non permittit, hoc ſummæ tribuitur prudentiæ, quod Dominus ait per Prophetam Amos, vt ibi notat D. Hieronymus de quibuſdam contumacibus locutus peccatoribus: *Cognoui multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra* &c.

*Prou.* 12. 14.

*Eccl.* 20.

*Amos*

Ideo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Ideo prudens in tempore illo tacebit quia tempus malum eſt.* Et hoc dicto ſapientis correſpondet: *Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo.* Hæc omnia ſapientiſſimus & eximius Doctor noſter Chriſtus comprehendit (ex mente D. Chryſoſtomi) exponens quem ſibi habeat ſeruum fidelem: cum ſcilicet: *Qui dat illis cibum in tempore. Fidelis ſeruus & prudens*, duo illi tribuit epitheta, fidelis & prudens: ab his enim duobus neceſſe eſt ſit laudabilis, quem ſeruum oportet eſſe perfectum. Primum, fidelitas in facultatibus. Secundùm, prudentia in diſpenſando, vt vnicuique, quando, & iuxta id quod conuenit, eroget. Plus ſatis fatuus ille foret œconomus, qui Domini facultates aliò pergeret mediæ noctis ſilentio diſpenſaturus, quando ſopor ſolet homines occupare, & ſenſibus non conſtant integris. Hoc à te requiritur, ſit fidelis, adhibens correptionem, erogans doctrinam, conſiliumque diſpenſans: pariter ſis prudens, hoc eſt, hæc ſuo tempore diſponantur: *In tempore ſuo.* Non quando ſenſibus alter deſtituitur, ratione ex nimia bile caret, aut paſſione conturbatur. Ad rem expendit D. Hieronymus loquendi formulam Malachiæ prophetæ: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam*, conſilium, doctrinam. Numquid conuenientiùs diceret, labia Sacerdotis conſulunt, prædicant, docentque ſcientiam? Non diceret: oſtendit enim, Sacerdotem conſilium, correptionem & doctrinam non debere effundere tempore non opportuno, ſed correptionem temporis ſeruare opportunitati, quando poteſt eſſe fructuoſa. Etenim ſeruat agricola triticum nec non niſi tempore ſeminat illud opportuno, quando præuidet illud ab aruis ſuſcipiendum, radiceſque acturum, in illis profundiſſimas.

Eccleſ. 20. Matth. 24. 45. XII. Quis ſit ſeruus fidelis & prudens. Malac. 2. 7.

## §. 16. Inter te. *Ne canis ſis odorus, vt peccata ſecteris aliorum, illorum quæ tibi occurrerint curam ſuſcipe.*

☞ 42 a Ser. 16. de verbis Domini. b 2. 2. q. 33. I. Circumſtantia.

ALias circumſtantias includit hoc verbum: *Si peccauerit in te.* Quod ſignificat, interprete D. Auguſt. *a.* nec non D. Thom. *b.* *Te ſciente.* Prima circumſtantia eſt: vt certò, & indubitanter ſciatur, quod alter peccauerit: quod ſi ex meris ſuſpicionibus, ſeu tuis imaginationibus credere non poſſis vllum de proximo peccatum, minus tibi licebit de illo proximum corripere, quinimo, de proximo, omnibuſque bene eſt ſentiendum, de quolibet hanc ferendo cenſuram, quòd te meritis longè antecedat, iuxta regulam Apoſtoli: *Superiores inuicem arbitrantes*, & cum eodem dicendo: *Confidimus de vobis meliora, & viciniora ſaluti.* Nec dubium eſt, quod ſi ſolis adductus ſuſpicionibus alterum reprehenderis; communi reſpondebit tibi prouerbio. (*a*) Licet ex ea ratione, non ſis ſolutus ab obligatione corripiendi, ſi hanc videris laxis habenis effrœnem, illum qui ſe periculis exponit, non quidem vt de commiſſo peccato, ſed vt illum committendi peccatum, eripias periculo.

Philipp. 2. 3. Hebr. 6. 9. (a) *Quien à ſoſpechas primero las tiene bechas,*

Secunda: Cum illud tu particulari noueris: tunc teſtibus D. Auguſtino & D. Thom. peccauit in te frater tuus: quando namque peccatum omnibus innotuit, non te in particulari, ſed offendit omnes, vnde illud emendare conuenit iudicibus, & publicis perſonis, omnium perſonas viceſque obeuntibus. Et de illis ſcribit Apoſtolus diſcipulo ſuo Timotheo Epiſcopo, vt perſonæ publicæ in dignitate conſtitutæ: *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant*, vt exponit D. Auguſtin, probatque varijs S. Scripturæ teſtimonijs. Et clare patet, eo quod Dominus præcipiat: peccatorem tu corrigas, eius tamen honori conſulens, vt dicemus, peccator autem publicus, nullo honoris iure præfulget, quamquam quòd ſi crederes, quòd, qui talis eſt, vt tantum tibi deferat, quod in illo effectum tua ſit habitura correptio, hanc illi præſtare deberes eleemoſynam.

Secunda. 1. Timoth. 5. 20. Ser. 16. cit. & l. de corrept. & grat. cap. vlt.

Tertia declarat hoc verbum: *In te*, habet enim ſingularem hæc propoſitio: *In* Emphaſim, Iuxta Grammatices regulas, quando regit accuſatiuum, quòd ſignificet ad rem aliquam motum, ſicut ad terminum, & obiectum ſuum. Nec eſt aliquid adeo grammaticale, per quod SS. Patres D. Auguſtin. *a.* & D. Thom. *b.* non ſubtiliſſimos S. Theologiæ conceptus manifeſtent. Hoc conceſſo, quod peccatum dicatur: *In te:* Illud ſcilicet quod te conuenit, tibi occurrit, incidit in te. Non enim obligaris (aſſerit D. Auguſtin.) tu qui perſona es particularis alterius inueſtigare peccatum, hoc enim eſſet, ire te ad illum, te illi obuiam procedere ſed tunc tantum quando ille tibi non quæſitus occurrerit; non enim tuum eſt vitæ mores inquirere alienorum. Ne tibi perſuaſeris quòd Deus te habere velit fiſcalem curioſum, aut canem ſagacem, aut vt aliena veneris peccata, aut actiones indages aliorum; ſatis namque tibi negotij eſt, vt teipſum inueſtiges: *Admonet nos Deus* (ait D. Auguſtinus) *non negligere inuicem peccata noſtra, non quærendo quod reprehendas,*

Tertia. a Tract. 29. in Ioann. ad med. & Ser. 16. de verbis Domini. b 2. 2. q. 22. 6. 2. D. Aug. Ser. 16. de verb. Domini. T. 10.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*das ſed videndo quid corrigas : alioquin efficiemur*
Prou. 24. 15. *vitæ aliorum exploratores.* Et nobis hoc prohibet Spiritus S. *Ne inſidieris , & quæras impietatem in domo iuſti , neque vaſtes requiem eius.* Potius te monet D. Gregorius , licet alij tibi narrent aut aliquid contra proximum tuum referant non ſtatim eis fidem adhibeas , non enim noſti, quâ tibi loquatur alter intentione , nec quo ſpiritu, nec qua veritate, nihilque facilius, quâm aliquem decipere, & iam deceptum agere aliquid, in proximi ſui detrimentum.

☞ 42 L. 1. Dial. c. 4. Ex quibus interrogationi reſpondet , ſibi à Petro Diacono obiectæ. Enarrabat illi ſummus piuſque Pontifex prærogatiuas , meritaque monachi ſui temporis nomine Equitij in quem quidam liuore ſtimulati falſas Pontifici detulerant informationes : citat Monachum Pontifex, ille verò vt verus humilis , ilico itineri ſe Romam verſus accingit. Priuſquam appelleret , viſione

II. D. Gregorij exemplum. mirifica Deus Pontificem plenius inſtruxit, lecto decumbentem. Equitium virum eſſe ſanctitate conſpicuum, accuſatores autem peruerſos, quocirca miniſtrum extemplo deſtinat , proficiſceretur , & vbicumque occurreret Equitio , liberum abire præciperet, virumque honoraret. Quó auditô Petrus Diaconus de hoc ſummum interrogat Pontificem : quid hoc Pater Sancte, ſiccine poteſt ſummus decipi Pontificex ? Cui ſic Diuus Gregorius fili mi , cum Pontifex ſit homo, falli poteſt, quando non procedit vt Pontifex , ſi vero vt Pontifex procedat , cum certam habeat & infallibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam , non poteſt in ſuis falli decretis, neque errare definitionibus : ſed in vulgaribus facti negotijs , falſis ſimiliter ſeduci poteſt informationibus , vt cæteri hominum , idque tantò faciliùs , quantò ſunt plures Pontificis occupationes , maior negotiorum varietas, & populorum quibuſcum agit diuerſitas ; *Quid miraris Petre , ſi fallimur , qui homines ſumus ;*

2. Reg. 6. & 19. An non recordaris ( inquit ) Dauidis , qui cum vates eſſet adeo illuminatus vt Dei ſapientiæ noſceret occultiſſima , ſemel tamen atque iterum falſis ſe criminationibus deluſum ſenſit; quibus coram illo filius Ionathæ quo non habuit amicum fideliorem , accuſabatur , ſic vt credulus nimis : eo proceſſerit , vt eius publicans facultates , non leui innoxium afficeret iniuriâ? Si tam eximius propheta fallebatur , vt vera credens ſibi delata , quantò magis tu potes falli, qui nec vates , nec ſummus Pontifex agnoſceris ? *Quid ergo mirum , ſi ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetæ non ſumus?*

Si illis, qui ita tibi loquuntur, fidem non te oportet adhibere , nec idcirco confeſtim currere proximum correpturus, quantò minus te decet proximi indagare peccata , poſtmodum à te corripienda?

Hanc ſequens doctrinam D. Thom. Attende ( inquit ) an ignoras correptionem fraternam eleëmoſynam haberi ſpiritualem ? In illa igitur, te gere eô modô , quo in corporali. Non obligaris tu , qui perſona es particularis , inquirere , qui ſint in hac ciuitate pauperes , quibus erogare poſſis eleëmoſynam ; nec teneris examinare , num talis media habeat nec ne ſufficientia , vt illi ſuccurras laboranti. Quando te pauper accedit , aut ſuam tibi manifeſtat inopiam , tunc illi tuâ ſuccurrere teneris eleëmoſynâ. Verum eſt , quòd perſonas deceat publicas , diligenter inquirere , & reipublicæ inueſtigare neceſſitates , vt conueniens illi adhibeant remedium. Ita tibi incumbit agendum in eleemoſyna correptionis. Hoc ſignificare voluit Dominus , in caſu cuiuſdam blaſphemi, cum quo quid agendum eſſet dubius Moyſes Dominum conſuluit : cui ille. Hoc age. Qui non audierint illum dum Deum blaſphemijs appeteret , deſiſtant ab illo , cum enim illis blaſphemia non occurrerit , non habent ipſi quòd inquirant. Qui verò blaſphemum audierunt , vt perſonæ , ad quos acceſſit blaſphemia, mittant illi ſuper eum manus ſuas , eiuſque caput , & reum morti adiudicent : *Ponant omnes qui audierint , manus ſuas ſuper caput eius,* quando debeo manus ſuperponere corripiendo peccatorem ? Quis ſuas debet ſuperponere manus ? Quando peccatum eius te non quærentem accedit , tibique occurrit. Non debet quis eſſe in indicando ſtultus , ſed nec præceps nimis . Tam erant ad Sacerdotium irregulares qui prægrandem habebant naſum , quam qui habebant minimum. Nares habere debent iuſtas ac proportionatas , quæ olfaciant , quod olfactu planum eſt , ſed curioſè nimis haud inueſtigent: hoc quippe producit in Republica ſeditioſos quos Romani vocabant : *Delatores* : quos hic dicimus ſuſurrones, de quibus Alexander ab Alexandro quos idcirco Tiberius Cæſar immaniſſimis afficiebat ſupplicijs. Non eſt hæc Dei voluntas, vt ad corripiendum fratrem tuum, ſis ex horum numero , nec ſuperfluam defectuum eius inſtituas inquiſitionem.

O Sanctiſſime Dauid : quid tu de talibus ?

Margin: 2. 2. q. 33. a. 4. ad. 2. & a. 7. & quodlib. 4. a. 12. — III. Nullus tenetur peccata aliorum inquirere, vt illa corripiat. — Leuit. 24. 14. — Leuit. 21. — IV. Delatores vitandi. — 4. Reg. 14.

Detra-

*Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar.* Deteſtatur Deus illum, qui ſecreta proximi ſui peccata perſcrutatur, vt illa diuulget, fratriſque detrahat æſtimationi. Non hoc Deus ſtatuit præcepto illo fraternæ correptionis. Plurimos inuenias ſuſurrones, qui te millenis accedunt fallacijs quas de tali viderunt, de tali audierunt. Noueris illos à Deo maledictos. Prudens ac ſagax, vult Deus, vt ſit Sacerdos, in odorem ſentiendo peſtiferum, attamen non nimium ſic vt illum tamquam venator indaget. Cum malus percipitur odor defectus peccatique proximi, corripiatur; verùm non curioſiùs inquiras, vt habeas quod in illo corripias, etenim hoc ſummo, ete Deo diſplicet. Ex his conſueui multis conſulere curioſis aliorum vitæ canibus odoriſequis. Hæc omittite, nec aliorum velitis noſſe actiones, præter enim iniuriam, quam alteri facitis, eius inquirentes actiones, vos ipſos moleſto implicatis labyrintho, & actui tam tædioſo, quâm vobis ſentitis eſſe proximum arguere, & meditari, qua ratione vobis ſit impendendum fratri remedium.

## § 17. Inter te. *Corripe: paſſeris occultando ſanguinem. & illis circumſtantijs, quibus vſus eſt Eliſeus.*

☞ 45 MOdò videamus, qua ratione fraterna ſit facienda correptio: eſt autem Dominus noſter, Magiſter adeo ſapiens, vt pariter nobis agenda præcipiens, modum explicet faciendi. Primò: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum*: q. d. in ſecreto, ſine ſtrepitu, ita vt tollas peccatum, illius tamen honori conſulas: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum ſtudens correptioni, & parcens pudori*: (conſulit D. Auguſtin.) *Forte enim præ verecundia incipiet defendere peccatum ſuum, & quem vis correctiorem, facies peiorem.* Expoſtulat Diuus Hieronymus, & quidem grauiter nos omnino factos eſſe præpoſteros. Nobis iniungit Deus, vt fratris peccati conſcij illum corripiamus, & ab alijs abſcondamus. Hoc nos docuit Spiritus ſanctus. *Audiſti verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet*; peccatum proximi tibi delatum, pectore tuo demerge, ne in forum producas, ne reuelaueris alijs, ſed vade, corripe illum clanculum, vt ſe corrigat: *Corripe amicum, &c. ne iterum addat facere, corripe proximum, &c.* Ita vt, & de peccato proximum corripias, & tamen illud alijs ſerues incognitum. Nos autem proximo ne verbum quidem dicimus, alijs verò fratris peccata propalamus, videmurque ſatisfeciſſe, ſi quemque præmonuerimus, quòd illa ſecreto ſibi ſeruet, cum ea ipſi ſoli confidamus: ita vt ea dicamus omnibus, & cuique in ſecreto, quaſi vero illud non eſſet, ea omnibus, & publicè promulgare. Audite verba D. Hieronymi: *Quid mihi prodeſt, ſi alijs mala mea referas, & cum certatim omnibus narres, ſic ſingulis loquaris, quaſi nulli dixeris alteri? Hoc non eſt me emendare, ſed vitio tuo ſatisfacere.* Correptione fratris cura peccatum, & ſecretò eius proſpice dignitati. Expertus chirurgus ita nouaculam applicat, vt carnem tantummodo putridam, & cancro infectam reſecet, integram verò ſanamque prætereat. Doctus medicus lienem curans, cauet ne hepati noceat.

D. Aug. Ser. 16. de verb. Domini T. 10.

I. Fratris peccata occultanda & occulte reprehendendus.

Eccli. c. 19. 10.

D. Hier. Ep. 4. ad Ruſtic. T. 1.

Rem admiratione dignam præcipit per Moyſen Dominus populo: *Homo quicunque de filijs Iſrael, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram vel auem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem eius, & operiat illum terra.* Ne omnino appareat, vlluſque eum videat. Quid hoc Domine tua refert? Quid inde mali: quòd paſſeris ſanguis iaceat diſcoopertus, omniumque ſpectabilis conſpectui? Significare voluit, quod præ manibus habemus. Num peccator hæret captus & illaqueatus? cito accurre illi, ſanguinem illi extrahe peccati, tuæ correptionis, ſanctæque cultro admonitionis: at ea fiat cautione, vt nullus id videat, cooperi terrâ ſanguinem, ſit inter te & ipſum ſolum. Sanctiſſimus Ioſeph quando multis interiectis (a) amicè fratres ſuos intendebat reprehendere; de peccato in eum commiſſo proditoriæ venditionis, vt eius illos pœniteret, prius egredi foras omnes præcepit Ægyptios, & quotquot aderant præſentes, ita vt ſolus cum illis ipſe remaneret. Deus reprehenſurus Iob de quibuſdam verbis, quæ grauioribus preſſus afflictionibus inconſideratè protulerat, illum ſeorſum duxit, vt nullus amicorum audiret reprehenſionem, quinimo, ita eius conſuluit honori, cum eum inter ſe & ipſum ſolum arguiſſet, vt poſtmodum cum eiuſdem amicis collocutus, maximopere eum exaltarit, ipſos acriter reprehendens, quòd virum illum ſanctiſſimum præter omnem modum conuitijs indignè lacerafſent, præcepitque vt facti ab illo veniam

Leuit. 17. 13.

II. Ioſeph fratres ſuos occulte reprehēdit.

(a) *deſpues de muchas dadas y preſas.*

III. Similiter & Deus Iob Aaronem, Mariam.

indignè laceraſſent, præcepitque vt facti ab illo veniam flagitarent, nec non deprecarentur, vt pro illis apud Deum ſequeſter intercedat, ad obtinendum ſceleris indulgentiam. Iterum correpturus Aaronem & Mariam Moyſi fratrem & ſororem ob grauem contra Moyſen murmurationem, iuſſit illos vocari ſeparatim, ad ſecretiora tabernaculi. Hinc quoque (monet nos D. Auguſtinus.) prudentiam addiſces glorioſi Ioſeph, cum enim adeo moleſta de ſponſa ſua cœleſti torqueretur ſuſpicione, dum vidit prægnantem, noueratque ſe nullius eſſe conſcium, nec illam ad forum adduxit, nec ſparſit in publicum, celatque ſilentio: *Reſtabat* (inquit ille) *certa adulterij ſuſpicio, & tamen quia ipſe ſolus ſenſerat, ipſe ſolus ſciebat, quid de illo ait Euangelium? Ioſeph autem cum eſſet iuſtus, & nollet eam diuulgare, &c.*

Num. 12.

D. Avg. Ser. 16. de verb. Domini. T. 40.

Apposite vobis refero hiſtoriam Eliſei, & quid egerit, puerulum à mortuis ſuſcitaturus, ea namque de cauſa hanc ſuis narrat Spiritus S. omnibus expreſſam circumſtantijs. Moritur puer, præmittit vates Giezi miniſtrum baculo ſuo munitum, vt eum puero ſuperimponat. Non ob hoc reſurgit puer. Eò deſcendit de ſua ſolitudine, quàm in monte colebat. Eliſeus, cubiculum ingreditur, cadauere iacente in lectulo, ac primum: *Clauſit oſtium ſuper ſe & ſuper puerum.* Idque, ne ſe, neue puerum quis videret; & ſtatim (ſecundum) cor ſuum in Deum ſurſum erigit, exorans vt tanto ſuum daret miraculo ſubſidium. Tertiùm: ſe puero coniunxit: oculis oculos, os ori, brachia brachijs, corpori corpus. Quia vero ipſe magnus erat, puer autem paruulus: *Incuruauit ſe ſuper puerum.* Et eo facto ſuum illi communicat calorem, corpusque puſionis paulatim cœpit incaleſcere, quod ante præ frigore obriguerat. Quartùm: ſurrexit propheta, & per cubiculum deambulabat huc atque illuc (a) circumcirca puerum, & demum reuertitur, copulat ſe puero, ſuperque eum ſepties incuruatur. His puer aperuit oculos, ſternuitque rediuiuus. Hoc muneris tui eſt, ſi mortuum cupis ad vitam excitare peccatorem. Puer eſt, eoque nomine peccatorem communiter vocat Spiritus S. ob defectum iudicij.

4. Reg. 4.
IV.
Qua ratione Eliſeus puerum reſuſcitet.

(a) haziẽdo pointas.

Primò; congruum non eſt medium, illi baculum ſuperponere, non peragitur hoc negotium baculis, obiurgando duriùs, excitando ſeditiones, laceſſendo conuitijs: non ſeueritate, non aſperitate: non enim vult Deus, ad aquæ de petra quantumlibet dura, productionem, virga Moyſes & Aaron illam percutiant: ſi namque petram percuſſeris, ignem non aquam extrahes, ſed: *Loquimini ad petram.* Expendit Diuus Baſilius quod de iuſto proloquitur David & ipſe iuſtus: *Opprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum.* Quod hic ſcitè optimè quadrat, ait Diuus Baſilius q. d. quòd ore ſuo vir iuſtus nulla habeat non opprobrij aut iniuriæ verba, quibus fratrem ſuum acriùs reprehendat: illis enim potius fratrem irritabit acerbiùs, quàm emendabit. Non illi exprobrandum, ſcurra, nebulo, proditor, infamis, non eſt hic verberibus agendum: illis etenim, qui homines ſunt, plus profuit ſuaue verbum, quàm mille verbera inſipienti. *Plus proficit correptio* (teſte Spiritu S.) *apud prudentem, quam centum plagæ apud ſtultum.*

Num. 20.
Hom. in Pſal. 14.
Prou. 17. 10.

Secundò: Deo preces funde, vt ſuam tibi gratiam largiatur, quâ verba tua operentur efficaciùs, orationem deprome, quam Eſther ore deprompſit, dum cor Regis Aſſueri ſtuduit immutare: *Da mihi fiduciam, Domine rex Deorum, & vniuerſæ poteſtatis tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & transfer cor illius.* Sed oſtium occlude, vt ſolus ſis; hoc dico quod Saluator noſter dicit: *Inter te, & ipſum ſolum*, ne magnum clamoſus excites ſtrepitum, ita vt omnes, quid agas, intelligant. Demum te illi coniungito, oculis oculos, corpus, & ſuper illum incuruare: te, inquam, eius conforma menſuræ, tibi perſuade, quod ſicut ille, tu ſis miſerabilis, carne & oſſibus conſtans, infirmus, repletus, vt ille, miſerijs, imo grauioribus, eius extolle ſtemma nobilitatis, exalta familiam, perſonæ ponderà dignitatem, rationes adhuc & ſimilitudines in rebus, quæ eius bene conueniunt ingenio.

V.
Eſther 14. 9.

Sagaciſſima fuit virago illa pijſſima Iudith, ſuperbi Dei hoſtis, tyrannique Holofernis deiectura, ac proſtratura ceruitudinem. Primò ſe coram Deo in oratione humilis proſtrauit, aſpero tecta cilicio, diuinam opem implorabat, inſtabat ieiunijs, moleſtis gemitibus, cordis ſingultibus, caput cinere conſpergens: attamen poſtmodum vt ſe crudelis oculis offerret ſpectandam tyranni, grataque adeſſet, faciem ornauit, capillos compſit, mundum induit muliebrem totaque proceſſit picturata: hæc etenim omnia placere nouerat illi, quem ſubiugare conabatur. Addit autem Spiritus S. *Quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat, & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium*

VI.
Iudith 10.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*nium oculis appareret.* Non aliud illo prætendebat corporis cultu, quàm tyranno ſe ſpectabilem gratamque reddere, per hunc ſe conformans illi quod tyranno, eiuſque nouerat oculis acceptum, quò illum ſuperaret. Vade, tu fac ſimiliter, vt de peccatore lætam referas victoriam, te prius coram Deo feruenti ſiſtas oratione, gemitibus, ſuſpirijs, vt iam diximus: deinde vt te illi præſentes, illum adeas correpturus, ornatum indue placabilem, illud aſſume quod illi præ cæteris noueris acceptum, ſuæ conforme inclinationi, gratum palato, hoc inquam, quod præſcis libentiùs auditurum occuliſque conſpecturum.

VII. Nathan Dauidi ea proponit, quæ libēter audiebat.

David Rex erat inclytus, muneris illius erat audire, & facere iuſtitiam, hoc indumento ſe Nathan adornat, ingreditur enim coram Regia maieſtate, petitque fieri iuſtitiam. Caſum componit induſtrium, adeoque congruum, vt Dauidis oculis mirum in modum conueniret, illiſque ſe paſceret, & oblectaret. Hoc modo, animaduerte quàm attentas illi præbuerit Rex aures, & quàm bene potuerit ingreſſum obtinere, quo Regem ſibi ſubditum per omnia reddit. Hoc autem eſt te mederi peccatori, ſicut Eliſeus puero. Deinde cum Eliſeo obambula circumquaque velut accipiter, qui quo comprehendat aquilam, huc atque illuc circumuolat, aerem captans, ſeque diſponens, vt quando videtur ab ea longiùs diſtare, ſuper illam decidens comprehendat. Ita Nathan Dauidem apprehendit, vt diximus: quós gyros circumit adeo, quantum videtur, à propoſito diſſitos? Hic ſuam videtur ad diuitem intendere rationem, cui greges, cui armenta plurima &c. Quando autem Dauid vt tale quid diligenter auſcultat, & centum à ſe diſtare leucis arbitratur, eum impetit: dicendo: *Tu es* (1.Reg.12.) *ille vir.* Quod eleganter expendit D. Gregorius. (D.Greg. 3.p.Paſto. c.3.) *Ad ægrum medicus venerat, ſecandum vulnus videbat, ſed de patientia dubitabat. Abſcondit igitur ferrum medicinale ſub veſte, quod eductum ſubito fixit in vulnere, vt ſecantem gladium ſentiret æger, antequam cerneret, ne ſi ante cerneret, ſentire recuſaret.* Ne directè in directum intraueris, proximo peccatum ſuum proponens, & velut cretæ pilam in oculos eius iniecturus: infauſto namque cedet omine.

2.Reg.2.

VIII. Fruct nō ex abrup-

Curſor erat Aſael velociſſimus, aitque Spiritus S. quòd ducem exercitus directo voluerit curſu perſequi, qui fuga ſibi conſulebat. Ægrè tulit hoc Abner, monetque inſequentem, vide quid agas, Aſaael, caue ne me directè in directum proſequaris: *Ne compellar confodere te in terram;* declina ſiue ad dexteram, ſiue ad læuam, daque locum fugienti, erimuſque pariter incolumes? Noluit ille audire monentem, quocirca irritatus Abner auerſa haſta in inguine transfodit Aſaelem. Circumſtantiam notat Spiritus S. ſingularem in victoria Dauidis de Gigante: volens etenim vt lapis quem dirigebat fronti capitis infigeretur, prius fundám hacque illacque circumduxit: *Circumducens fundam percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte eius.* (1 Reg. 17. 4.) Lapidem illum circumducito correptionis, priuſquam de funda linguæ tuæ proſiliat: cum etiam venarum apertor, priuſquam lanceola venam operiat, brachium allinit ſuperius & inferius. Quid agit D. Paulus fratres ſuos correpturus? ſe illis commetitur, ſe vt illos ſceleribus eſſe confitetur obnoxium: *Audiſtis conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam* &c. (Gala.1.1.) Quoties repetit correpturus Corinthios: *Factum ſum inſipiens,* quamque ſuppliciter obſecrat: *Suſtinete me, ſupportate me.* (2.Cor.12.11.) Quàm dilucidè demonſtrat, quòd illos vnicè diligat nec aliud (2.Cor.11.1.) niſi illorum velit ſalutem. Hoc enim eſt cum Eliſeo inſpirare, calidumque de corde ſpiritum educere, demonſtrare, quod eum ſyncero diligas affectu; vt animam tuam habeas, & inde prodeat, quòd illum intendis, admonere.

into menendus.

IX. Sed prius affectum demonſtrando.

X. Prius frater laudandus deinde corripiendus.

Notat Richard. de S.Victore modum, quem præſcribit Dominus D. Ioanni quo Pergami Epiſcopus corripiatur: vt incipiat, de multis præclaris illum extollendo, dicens, quòd eo ipſo, illum inſtigaret, ad ea, quæ talia non erant, reparanda: quòd inter infideles fidelis eſſet, nec non perfectæ fidei conſeruaret confeſſionem: *Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam* &c. (Apoc.c.2.13.) hoc ipſo reddes tibi beneuolum, & viam ſternes reprehenſioni, dicendo: *Sed habeo contra te pauca.* Hoc quo fulges, magnum eſt bonum, id verò, quo deficis, parum eſt, de facili namque potes illud emendare, vt in omnibus ſis talis, qualem quis poſſet optare, ab eo qui tanta, quanta tu, pollet auctoritate. Verba Richardi vobis propono: *More prudentis medici agit, qui puſillanimis impatiens tenelli, & timentis infirmi, apoſtema primum circumquaque ſuauiter tractat & tangit, & poſtea ferrum infigit, & latentem putredinem ſapienter* (Richard. de S.Victore l.1. in Apoc. p.2.c.7 p.211.)

D. Chr. Hom. 2. de Dauid. Tom 1.

*educit.* Fuſius hoc tractat D. Chryſoſtomus dicens; qua enus non irritetur peccator, eius circumeamus peccatum, ipſum ab ipſo deducendo, & elongando: hoc eſt, illi declarando, quòd tota non ſit illi culpa imputanda, quòd mala fuerit ſocietate ſeductus; quòd vehementi fecerit preſſus occaſione. Eo modo, dicit, aduertens quòd Galatas Paulus arguat, ab illis ſcelus diuertens, & alios aſperius accuſans, in quos ſtomachatur, illos à Deo prædicens fore caſtigandos. Ipſum præſtat, loquentem audiamus: *Volens ab illis amouere culpam, vt aliquantulum à crimine recreati ad excuſationem venire queant, hunc in modum loquitur. Ego confido de vobis, quod nihil aliud ſapietis: qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque eſt ille.*

XI.
Culpa etiã alijs adſcribenda.
Gal. 5.10.

☞ 46

Idem D. Chryſoſtomus eloquenter aduertit expendens formam, quam idem ſeruauit Apoſtolus correpturus Corinthios de defectibus, quibus inflati quidam diuitijs, alij ſapientiæ oſtentatione notabantur, illamque commouebant Rempublicam, dum quiſque ſuas erigit factiones, excitans ſchiſmata in non leue ſuarum conſuetudinum & prædicationis Euangelij præiudicium. Vt autem illos de his argueret, primam illam ſcripſit Epiſtolam Diuus Paulus, & amica præmiſſa ſalutatione, paciſque oſculo: *Gratia vobis & pax.* Sic igitur exorditur: *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quod in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia, exſpectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hæc audiens D. Chryſoſtomus conuerſus ad Apoſtolum ſic eum alloquitur: quomodo Sanctiſſime hæc dicis Apoſtole? Nonne hæc mens tua eſt illos de ſuis arguere ſceleribus, multis etenim & grauibus & omni correptione dignis inquinantur? Qua ratione ſupponis illos innocentes? Illos eſſe reprehenſurus vt carnales ſine ſpiritu, ſine vllo Dei timore pertinaces: multi namque de ſimilibus grauioribus ſceleribus inſimulantur? Illos eſſe correpturus, vt Zeloſos, liuidos, inuidos, inuicem prouocantes, commouentes, homines ſine virtute, ſine charitate? Quale tuum igitur hoc exordium, gratias agens Deo, nihil in illis reprehenſione dignum inueniri? Ne mireris, reſpondet D. Chryſoſtomus.

Primò: ſciebat enim Apoſtolus: quod ſi plures eſſent ijque graues Corinthi peccatores, quos reprehenderet, erant & inter illos alij virtute præclari, laudeque digniſſimi. Secundò: quod dicat, nullum inter illos defectum poſſe reprehendi, ſecundum illas loquitur gratias, quæ omnes in illa vigebant Republica. Alij namque gratiam habebant curationis, alij donum prophetiæ, linguarum alij, ſcripturam quidam interpretabantur: pro vt poſtmodum declarat Apoſtolus. Tertiò: reſpondeo, velim aduertas, quòd ſibi proponat Apoſtolus illos corripere, vt autem huic viam paret reprehenſioni, blandè ingreditur, & ab eorum orditur præconio, non propter illos qui talibus præfulgebant, de quibus illos laudabat, ſed propter illos, qui illis carebant: iuxta conſuetudinem S. Scripturæ quibuſdam in locis: tandem morem ſequitur (inquit) loquendi communem: ſicut enim ſuppoſito communi, & ab omnibus recepto nationibus prouerbio, dicis (a) vrbanitatis verba non obligant: ita quoque vt quempiam diſponas, qui tibi benignitate non vulgari deuincitur, eum verbis alloqueris comicis, laudis non perfectæ, ſed quam deberet promereri: *Etiam ſi laudes non ſint affines veritati, certo tamen conſilio inſerta ſunt, vt viam muniant ad ea, quæ ſunt dicenda.* His dictis ſua procedit Apoſtolus correptione, verbis amicis, ſuauioribus, vt eorum corda demulceat, eoſdem obſecrat, fratres cognominat, interponit deprecationes quæ pauperibus ſunt propriæ, teſte Spiritu S. quando diuitum corda ſibi deuincire ſatagunt: *Cum obſecrationibus loquetur pauper. Obſecro Vos fratres* (inquit Apoſtolus) *per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & eadem ſententia.* Attende, monet D. Chryſoſtomus quale ſuæ præmittat correptioni principium: cum enim illos de maxime pernicioſo, quo rei erant, accuſare peccato prætenderet nempe ſchiſmatis ac diuiſionis in materia fidei, & ſacramentorum, verbis exorditur præludiiſque ſuauioribus. Fratres mei obſecro vos per viſcera per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt in vnum conueniatis: *Videte quomodo ſenſim, & pulatim debeant fieri correptiones.* Etenim ſi lancea perentiẽdo incipias corripere, prouocabis alterum non emollies: *Si ſtatim quidem vehementer increpaueris immitem efficies, & impudentem.* Vlterius progreditur Apoſtolus, correptionis lancea profundius penetrante: vocans illos animæ meæ fratres, ſibi ab alijs relatos eſſe dicens de-

fectus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fectus aliquos, nec delatores nominans, illos exprimit: Retulerunt mihi, ſed non credo quòd omnia ſic ſe habent, licet fieri poſſit, vt aliquis ſit defectus? *Significatũ eſt enim mihi de vobis, fratres mei ab iis qui sũt Chloes, quia diſſenſiones ſunt inter vos, & ex parte credo &c.* Hoc quidem benè, hic optimus eſt corripiendi modus, vt blandus, & amicus ſit introitus, verba quippe laudatiua, viam muniunt correptioni, vt nec moueatur, nec grauiter irritetur, qui comicis tuis verbis & laudatiuis temperatur. Hæc omnia concinne D. Greg. (D. Greg. 3. p. Paſt. admo. 18.) *Conſiderandum quod elatos vtilius plerumque corripimus, ſi eorum correptionibus quædam laudum fomenta miſceamus. Inferenda namque ſunt illis, aut talia bona quæ in ipſis ſunt aut dicendum certè, quæ poterant eſſe, ſi non ſunt: & tunc demum reſecanda ſunt mala, quæ nobis diſplicent, cum prius ad audiendum, eorum placabilem mentem fecerint præmiſſa bona, quæ placent. Nam & equos indomitos blanda manu prius tangimus vt eos nobis plenius poſtmodum etiam per flagella ſubigamus: & amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adiungitur, ne ea quæ ſaluti profutura eſt, in ipſo guſtu aſpera amaritudo ſentiatur.* Si hoc ita perfeceris, oculos peccator aperiet, vitamque perditam recuperabit.

### §. 18. Frater tuus. *Moneat te, quod peccator frater tuus ſit: ſicut animalia & piſces: † Iob & Abiſai.*

47 DEinde peragẽda eſt nobis peccatoris correptio, vt quid ad fratrem pertinens idcirco namque Christus id præſcribẽs mandatum nobis vt tale repræſentat: dicendo: *Si peccauerit in te frater tuus.* (Hæc de tuenda ſalute proximi habenda.) Notat D. Chryſoſto. D. Pau. præ cæteris ſæpiùs, & prudentiùs correxiſſe peccatores, imo ipſum plus ſolum quàm multos ſimul huic officio incubuiſſe: quodque ea de cauſa nomine illo fuerit vſus: Fratres: *Et ego cũ veniſſem ad vos fratres.* (1. Cor. 2. 1.) *Fratres, voluntas cordis mei,* (Rom. 10. 1.) Hoc quippe nomen hominem reddit beneuolum: cum quiſque beneuolus fratri ſuo ſit: (D. Chry. Hom. 6. 1. ad Cor. Tom. 4.) *Quaſi eiuſdem* (inquit) *vteri partu, & doloribus prognatum, eundem habentem patrem, eiſdem alimentis educatum.* Vult igitur Saluator noſter, vt peccatorem velut fratrem attendamus, & hoc quod ait Apoſtolus intelligamus: quòd eũ non habeamus vt inimicũ, ſed vt fratrem noſtrum, imo amplius, quàm ſi frater eſſet eadem carne progenitus: (2. Theſſ. c. 3. 15.) *Nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrẽ.* Excitat natura, prouocat ſanguis vt ſuo quiſque faueat fratri: quinimo quo tempore feruentiùs fratrum in Ioſeph odium ebulliebat, eorum tamen dixit quidam: Ne occidamus eũ, *Frater enim & caro noſtra eſt.* (Gen. c. 37. 27.) Et poſtmodum Ioſeph prorex creatus Ægypti vt fratres redderet ſecuros, ſcirentque ſe nõ eſſe perdendos, altiori voce, & obortis lachrimis illis ait: *Ego ſum Ioſeph, frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum: nolite pauere.* (Gen. 45. 4.) Affectum meum vobis affirmo beneuolum, dum me veſtrum fateor fratrem, & vt talem me vobis propono.

(I. Animalia & piſces ſe mutuo iuuant.) Miramur nec immeritò dum legimus quàm ſibi ſincerè & diligenter animalia auxilientur, eiuſdẽ dũm ſunt ſpeciei, naturaque ſimilia. De Elephantis narrat Plinius. (a Lib. 8. c. 8.) quod ſi eorũ quidã in foueam decidat, accurrunt feſtinè, alij ramos, lapides alij deferentes foueã implent, quo poſſit, qui cecidit incolumis euadere. Refert Ælian. (Lib. 1. de hiſt. anim.) differẽs de piſcibus, qui præ cæteris animalibus, minus domantur ſubduntur, reguntúrque diſciplina: de piſcibus Anthia, dictis, quòd mox vt vident alterũ ſuæ ſpeciei hamo captũ, accurrunt reliqui, quorũ hi illũ ſuſtentant, ne pondere corporis totus hamo configatur, alij detinent ne piſcator illũ aquis captiuũ extrahat. Similiter de alio, (Eodem li. c. 4.) qui dicitur Eſcarus, & alio nomine Ruminalis: eo quod inter alios piſces, ipſe ſolus ruminet, de quo meminit D. Hiero. (Li. 2. cont. Iouinia.) & vulgari nomine dicitur Cantenus: quàm primum enim aduertit ſuæ ſpeciei alterũ hamum confixiſſe, celerrimè quaſi volans accurrit, qui proximior eſt, ac dentibus ſecũ demordet, vt qui captus eſt, liberetur: quod ſi alterũ viderit fiſcella comprehenſum de qua ſe non poſſit extricare, conuolat eiuſdem ſpeciei alter ad os accedit fiſcellæ caudãm immittit, quam qui captus eſt ore cõprehendit qua illum trahit, imo fiſcella extrahit aliquo licet labore moleſtetur. Cum igitur hoc poſſit in piſcibus natura, omnis legis expertibus, qui ſe mutuo deglutiunt, quid in nobis hominibus aget ipſa gratia, qui proximos vt noſipſos præcipimur diligere?

Optimè hic quadrat Domini verbum per Iſaiam: *Erubeſce Sydon, ait mare.* (Iſai. 23. 4.) Quod propoſito noſtro valde congrue declarat D. Greg. (3. p. paſt. c. 1. admo. 29.) Tã efficax eſt fraternitas fundata in carne & ſanguine corruptibili: quid nõ operabitur fundata in eſſe diuino gratiæ, in ipſius Dei carne & ſanguine: de qua ſic audio Apoſtolũ? *Multi vnũ corpus ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* (1. Cor. 10. 17.) Quam non adhibet diligentiam frater, qua liberet fratrem, quem dolet ab aliis fraudibus circumuentum, vel duriùs habitum, vel à Mauris



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

captiuum, aut manibus traditum inimicorum?

☞ 48 Videtur Chriſtus vſus hoc verbo, *Frater tuus*, nobis ad memoriam reuocare notam de duobus fratribus Abiſai & Ioab hiſtoriam, quam plenius exaratam habemus. Suis ſinguli copiis hoſtibus obuiam proceſſerunt, vt ferocibus, ita potentibus: licet autem ambo militiæ duces eſſent ſtrenui: vt prælium fore periculoſum cognouerunt, hac inter ſe conuenerunt conditione, vt quiſque ſuos ad alterum deflecteret oculos: *Dixit ergo Ioab ad Abiſai fratrem ſuum. Si præualuerint aduerſum me Syri eris mihi in adiutorium, ſi autem filij Ammon præualuerint aduerſum te, auxiliabor tibi. Eſto vir fortis & pugnemus pro populo noſtro, & ciuitate Dei noſtri: Dominus autem faciet, quod bonum eſt in conſpectu ſuo.* Suadet enim ratio, cum ſimus inuicem fratres mutuo nobis faueamus. O quàm crudum gerimus bellum, quàm multos inter & graues verſamur inimicos: *Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte: multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei.* Heu quàm feroces! *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem* &c. Opus eſt, vt ſtemus ſuper cuſtodiam noſtram, & vt fratres muniti ſimus, ſinguli alterius auxilio: hoc etenim optima lex exigit fraternitatis. Si videris quòd ab inhoneſta male frater tuus habeatur conuerſatione, vel auaritia, ſeu vindictæ cupiditate, quâ ſua illi perit æſtimatio, facultas, anima, cito ſuccurre pereunti: *Si peccauerit in te frater tuus.*

II. Frater fratrem iuuet.

2. Reg. 10. 11.

Pſal. 78. 5.

Epheſ. ca. 5. 12.

L. 1. de Pœnit. c. 8.

Ad rem expendit D. Ambroſius quàm grauiter ſe Deus irritatum oſtenderit contra Idumæos: qui prædicturum illis grauia, quibus eos mulctaret ſupplicia, prophetam miſit Abdiam: cuius vaticinium quaſi totum ad hoc reuocatur, quòd omnes conuocet Deus nationes, vt ſeueras de illis exigerent pœnas, affligerent, exurerent, conſumerent Idumæos. Quæ culpa, Domine? Ob non ferendam, quâ in proprium fratrem exarſerunt nequitiam: *Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob.* Erant autem Idumæi & Iſraelitæ deſcendentes ex duobus illis geminis Eſau & Iacob, vnde fratres nominabantur; ſicut erant eorum patres. Talis fuit hic caſus. Impugnarunt Chaldæi Iſraelitas, & captiuos abduxerunt, demoliti ſunt vniuerſos, illo verò tempore Idumæi iunctis manibus intuebantur Iſraelitas, & parum eſt, quòd illis non tulerint auxilium, inſuper & ſubſannabant, irridebant, naſoque ſuſpendebant, & factioni partique fauebant inimicorũ. O peruerſam, exclamat Deus, iniquitatem. Ignoras tu quòd ex naturali lege fraternitatis oporteat tuo te ſubſidio eſſe fratri, dum eum vides pedibus ſubſterni inimicorum? Numquam legiſti, quod ex eadem naturæ lege tibi præſcripſerim: *Et non deſpicies in die fratris tui?* Fratrem tuum ne rideas ad hoſte captiuum: *Et non lætaberis ſuper filios Iuda in die perditionis eorum?* Fierine poſſe credam, quòd nedum fratri tuo non accurras auxiliator, ſed & inſuper tribulationibus attritum rideas, exulteſque ſubſannator? quocirca viuo ego, dicit Dominus, tibi ſuperuenient qui te in cineres redigant: *Erit domus Eſau ſtipula, & ſuccendetur.* Quis credat, quærit D. Ambroſius vt idem tu perpetres in fratrem tuum ô Chriſtiane: Aduertis illum ab infernalibus deuictum Chaldæis, inter dæmonum abductum manus, qui vitam illi, qui animam deprædentur, tu verò complicatis adſtes manibus, in iocum vertas omnia Chriſtianus? Si hoc egeris, inimicus es, & frater tuus ſimilis illis de quibus Rex Dauid querebatur? *Inimici mei dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.* Crudeles ſunt inimici mei, qui dum vident me dolis circumuentum corruiſſe, nedum, non accurrerunt mihi ſubuenturi, ſed & riſui me habuerunt, fuique ſcopus iocorum verſus illis in parabolam. Quis intelligens fratrem ſuum à piratis captiuum, catenis innexum duriſſimis, tripudiaret, hoc in publicum ſpargeret, præ riſu non ſe cohiberet? Quis Chriſtianus rumorem audiens, à Turca ciuitatem captam Catholicam, dirutam, deprædatam non ingemiſcit, non dolet, ſed potius, exhilareſcit, materiam ex hoc ſumens confabulationis? *Non ergo gaudeamus* (monet D. Ambroſ.) *quia ſcriptum eſt. Ne læteris inimica mea, quia cecidi* &c. *nec immerito: quoniam qui lapſu alieno gaudet, Diaboli gaudet victoria. Et ideo doleamus magis, cum audiuimus periſſe hominem, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Verba notatu digniſſima.

Abdi. v. 10.

III. Idumæi ob defectum in fratrem ſuũ charitatis puniuntur.

Verſ. 12.

Verſ. 18.

Pſ. 37. 17.

Mich. 7. 8. D. Ambr. Lib. 1. de pœnit. c. 8. Tom. 4.

## §. 19. Frater tuus. *Corripe conſiderans quòd qui peccat, frater tuus eſt, & homo, tu vero ſpiritualis.*

49 IN dubiè hanc doctrinam, imo & hiſtorias ſpectare videtur illis verbis Apoſtolus, quibus deſcribit modum à te obſeruandum, vt acceptatum tua habeat affectum correptio, ſitque ſalutaris proximo ſalutaris. Vnde D. Chryſoſtom. illa ſingillatim expendit: *Fratres* (inquit Apoſtolus) *ſi præ-*

Gal. 6.

Gal.6.1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos
qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu
lenitatis conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.*
Oſtendit Zachariæ Dominus lapidem, & ait
quod licet abiectus eſſe videretur, eſſet tamen
expoliendus, & vt magni pretij in templo ſuo
collocandus: vt autem labor operis eſſet pru-
dentiſſimi, ſeptem ſuper eum eſſent oculi defi-
Zach.3.9. gendi: *Septem oculi ſuper lapidem vnum.* Signifi-
cans quod licet peccator vilis ſit rudis lapis
cælo linguæ tuæ oportet elaboretur: illum ar-
guendo, monendo, docendo, porro huic operi
multi requiruntur oculi, id eſt multa veniunt
conſideranda. Hæc autem omnia propoſitis
verbis explicat Apoſtolus. Primò igitur, hoc
locat vt fundamentum: *Fratres.* Primò: ſup-
ponens id notat D. Auguſtinus cum corripe-
re fratrem tuum tenearis, corripere teneris
tot quot ſunt peccatores, quibus tua poteſt
Idem, prodeſſe correptio: omnes namque ſunt fratres
ſerm.55.de tui, quomodocumque conſideretur: *Fratres*
temp.T.10. *ſunt, Dominus & ſeruus, & Imperator & miles*
I. *diues, & pauper.*

Quod verbum hoc fratr inſinuat. Secundò ſupponens quòd hic non agamus,
vt illud attendas, quod ad te non ſpectat, ſed
quod ita tuum eſt, ſicut ea ſunt, quæ fratris tui
ſunt, etenim vt fratrem oportet conſideres pec-
catorem. Filij eſtis vnius patris nempe Dei, v-
nius matris Eccleſiæ, vna vtriuſque per baptiſ-
ma natiuitas, vna menſa altaris, idem gloriæ fi-
Matt.23.8. nis, lex eadem Euangelica: ratione quorum,
aiebat ipſa veritas Chriſtus: *Omnes vos fratres
eſtis.* Quocirca cõponens orationem quâ ea, quæ
conueniunt, à Deo poſſimus obtinere, voluit
Matth.6. hæc proteſtatio nobis eſſet vt exordium. Deum
D.Cypr. vocando Patrem noſtrum: dicentes *Pater noſter
Lib.de orat. qui es in cœlis.* Vt notat Diuus Cyprianus quia
Dom. verò diffido hoc verbis exprimi poſſe elegan-
tioribus, quam ipſius Diui Cypriani, ipſum
audiamus: *Maior eſt fraternitas Chriſti, quam
ſanguinis. Sanguinis enim fraternitas ſimilitudi-
nem corporis refert: Chriſti autem fraternitas v-
nanimitatem cordis, animaque demonſtrat, ſicut
Act.4. ſcriptum eſt: Erat autem cor credentium vnum,
& anima vna. Verè ergo ille frater eſt, qui
non tam corpore, quam vnanimitate germanus
eſt &c.*

Aliud quoque nobis ingerit verbum *Fratres*
Domini, & Apoſtoli ſui, quo eadem in occaſio-
ne vterque vtitur, etenim auferre tibi deſiderant
omnem indignationem, qua in alterum moue-
ris vt peccatorem, & ad miſericordiam incli-
nare, vt eius ſalutem complectaris: nimirum,
vt intelligas, quòd eodem caſu, quòd frater tuus
ſit, eâdem ambo ſitis maſsâ progeniti, atque
ex conſequenti, tibi tam facilem, quàm illi,
fuiſſe lapſum, ſi Deus te ſuæ manu miſericor-
diæ non fulciſſet; non enim amplius operi-
bus tuis, quàm alter diuinam merebare clemen-
tiam. Hom.10.

Elapſis expendimus diebus D. Chryſoſtom. n.8.
doctrinam: nempe proximi defectus, ſiue corpo- II.
ris, ſiue animæ, à quibus nos lætamur integros, Qui in-
particularis Dei dona eſſe miſericordiæ, quâ nos ſtus eſt
præuenit, quocirca illos in alijs notantes, ad duo con-
duo conſtringimur. Primum: vt Deo gratias ſideret.
referamus: etenim cum ſumus nos tam miſe-
rabiles, quàm illi, ijſdemque ſubiectis calamita-
tibus: alios occulto ſuo permiſit iudicio in hæc
delabi crimina, nos autem ſuâ detinuit miſeri-
cordiâ ne in eadem cæci laberemur. Vt myſte-
rioſa ſemper euolui verba Domini ad Iob, qui-
bus exponit, quantas boni Angeli illi retulerint,
deferantque ſemper gratiarum actiones, dum
ruinam caſumque conſiderant Angelorum A-
poſtatarum: cum enim eſſent omnes eiuſdem
naturæ, ſi ipſi conſtantes permanſerint, alijs cor-
ruentibus & pereuntibus, diuinæ hoc miſeri-
cordiæ, gratiæque tribuendum, quam ipſis im- Iob 38.7.
pertijt, negauit alijs: *Vbi eras* (quærit Deus) *quan-
do ponebam fundamenta terræ, &c. Cum me lauda-
arent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes fi-
lij Dei.* De ſactis loquitur Angelis, ex iudicio D. a Lib.28.
Greg.*a*. & D. Hier.*b*. & Bedæ, quod expreſſius mor.c.14.
habent Septuaginta & textus Chaldaicus. No- b In c.38.
minibus illos compellat valde myſterioſis: aſtra Iob.
matutina & filios Dei. Illi (inquit) ab orbis ex- III.
ordio Deum opificem *Laudarunt*, & *iubila-* Angeli
*runt.* In Hebræo *Laudarunt*, eſt *Rinnen*, quod ſunt aſtra
ex opinione noſtri Xantes Pagnini ſignificat matuti-
inceſſanter gratias agere, laudare. Verbum *Iubi-* na, quæ
*larent* in Hebræo deriuatur ex nomine *Halal* ſemper
quod alacritatem indicat, gaudio iubiloque ani- Deum
mæ magno valde, vt quaſi hominem extra ſe laudant
rapiat lætitiâ nimiâ perfuſum. Hinc componi- ob donũ
tur *Haleluya* toties repetitum *Halal* enim læti- perſeue-
tia eſt maxima, Ia, nomen eſt Dei, & coniun- rantiæ.
gendo illud in *Haleluya* ſignificat: lauda Deum In the-
toto mentis iubilo. Hoc, inquit, modo me lau- ſauro.
darunt Angeli, in gratiarum actionem, & ineſ-
fabili omnino gaudio, vltra quam dici poteſt
iubilarunt. Septuaginta legunt: *Laudauerunt me
voce magna omnes Angeli mei.* Quæ ergo ratio?
Nomen expende, quo illos indigitat: *Aſtra ma-
tutina:* Videtur enim ſpectare illud D. Ioãnes,
in viſione illa notiſſima de Lucifero, dracone

 terribi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

terribili, qui candâ ſuâ tertiam ſtellarum partem ſecum de cœlo detraxit, & ruinæ demer-
Apoc.12. ſit inferorum. Hoc eſt, Lucifer ſuperbiâ tumidus Angelos prouocauit, vt in Deum ſuperbi conſurgerent, quo factum eſt, vt pars illorum tertia deciderit, perierit, & in obſcuras noctis ſtellas ſit miserè tranſmutata. His in chaos corruentibus, perſtiterunt boni, velut aſtra matutina, quòd aduertentes, gratiæ luce confirmati, facti filij Dei, illi ſimiles in gloria, quàm primum ad niſi ſunt Deo pro collato ſibi beneficio tam ſingulari, grates rependere infinitas: cum enim omnes ex eadem eſſent natura maſſaque creati Angelica, ſe confirmatos lætabantur in gratia, gloriâ perfectos, alioſque ſpectabant, miſero caſu corruiſſe peccato rebellionis, in culpa ſua pertinaces, pœniſque damnatos ſempiternis. O quàm immenſa Deo pro tam ſingulari beneficio perſonant
☞ 50 præconia gratiarum.

1.Cor.1. Ex hoc argumento perdendit D. Bernardus
30. illud de Chriſto Apoſtoli: *Qui factus, eſt nobis*
IV. *ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, &*
Chriſtus *redemptio*. Aduertas (inquit) verbum illud *Factus*
eſt An- *eſt nobis*: q.d. Iam à principio iuſtificator fuit,
gelorum ſanctificator & redemptor Angelorum, natus
redẽptor. autem in mundo: factus eſt ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio mortalium: etenim noſtram aſſumens carnem: quando *Verbum caro factum eſt*, & in ea moriens per illam nos mortem iuſtificauit, & redemit, eo prorſus modo quo ſæpius idem declarat Apoſtolus. Si percuncteris (inquit) qua ratione fuerit redemptio, vel Angelorum redemptor: cum boni numquam fuerint captiui, & mali numquam fuerint redempti vel reſtituti? *Angeli numquam redempti ſunt alij vtique non egentes, alij non promerentes: illi quidem, quia nec lapſi ſunt, ij autem irreuocabiles ſunt*. Quomodo mihi perſuades
D.Bern. quod illos verbum diuinum redemerit? *Audi*
Ser.22.in *breuiter. Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtan-*
Cant. *ti Angelo ne laberetur, ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendẽs; & hac ratione fuit vtrique redemptio, ſoluens illum & ſeruans iſtũ*: Si enim bonos ſuo non ſeruaſſet fauore ſingulari, ſicut ceciderunt illi, qui mali fuerunt factique ſunt dæmones, ſic hi quoque cecidiſſent: cum enim omnes eiuſdem eſſent
V. naturæ, tam facilè cecidiſſent hi quàm illi, ſi
Quæ cō- Deus, qui ſuam illis ſubtraxit manum, & his ſi-
ſideranda militer ſubtraxiſſet auxiliantem. Quocirca quo-
ſint in tieſcumque boni Angeli caſum perpendũt ma-
proximi lorum, ad Deum ſe conuertunt grates rependũt
caſu.

immeritas, & diuinam adorant miſericordiam: in malorum namque ruina, diuinam ſibi collatam attendunt laudantque bonitatem. Hoc quoque tu in proximi tui caſu contemplare. Quinimo quantum conijcio, ſignauit Apoſtolus: poſtquam etenim dixerat verbum æternum nobis factum iuſtificatorem, ſanctificatorem & Redemptorem, hoc eſt; quod ab illo habemus quidquid in nobis boni eſſe gloriamur, ipſeque ſit de quo dependet noſtra iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio, ſubiungit: *Vt quemadmodum ſcriptum eſt:* 1.Cor.1.
*Qui gloriatur in Domino glorietur*. Non eſt 31.
quòd ægrè feras, quòd in alterum excandeſcas, quem vides peccatorem, vt Phariſæus intuens & frendens in Publicanum: Si namq; tu illi ſimilis non ſis non eſt hoc merè manuum opus tuarum, ſed diuinæ miſericordiæ id acceptũ referre debes, cui te conuenit immenſas referre gratias, quòd in illas miſerias, defectus, peccataque nõ corrueris, in quæ fratrẽ corruiſſe demiraris: dicito cum Apoſtolo: *Gratiâ Dei* 1.Cor.15.
*ſum id quod ſum*. Adde cum D. Aug. *Gratiâ Dei* D.Aug.
*nõ ſum, quod nõ ſum*; quod ſuperiùs expoſuimus.

Secundum ad quod obligamur procedit ex primo: quòd te diuinâ conſiderans præuentum gratiâ, & bonitate ſuffultum, ac conſtantem, qui ſicut alius, non corruiſti, eiuſdem gratiæ ſubſidio, quâ te ſeruauit à caſu illæſum, fratri tuo compatiaris, agaſque de eius remedio: firmâ recolens memoriâ, toties renouatam D. Auguſtini ſententiam: quam aliàs perpendimus:
*Nullum peccatum committit vnus homo, quod non* D.Aug.
*committeret alius homo niſi ſuſtentaretur ab eo, per quem factus eſt homo*. Hæc omnia concinnè reſpondent illi quod addit Apoſtolus *Conſiderans teipſum &c*. De quo poſtmodum. Amplius dicit Apoſtolus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*. Notate verbum: *Præoccupatus*: q.d. Illaqueatus, circumuentus, præuentus, doloque irretitus: quaſi quis dicat quid miramini, quod inter milleños ambulans laqueos, in aliquem
inciderim, hæſerimque concluſus? Totus eſt VI.
mundus decipulis laqueiſque circumcinctus, Diligenter cōſideranda
quos dæmones noſtris per quas incedimus, vijs
præparant deceptorios: *In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*. Non tanto veſtigat ſtudio leporum perdicumque venator veſtigia, mille præparans illis tendiculas, quanto Pſal.141.
noſtra diabolus, vt incautos irretiat. Condole pauperculo, quem Satan circumuenit, quem
captiuum apprehendit. O quàm ſtrenuè ſe mo- Gen.14.
uit Abraham in abiectam illam barbarorum colluuiem: Lot etenim nepotem ſuum nihil ta-

ke

ſe quid formidantem ceperant,captiuumque abduxerant. Ilico arma ſumit adeo ſtrenuus vt neutiquam in nepotis negotio dormitet, donec eum manibus erutum inimicorum in priſtinam vendicaret libertatem. De eodem laudatur Dauid, quando captam ab hoſtibus incenſamque percepit Siceleg ciuitatem, amicos, parentes, vxoreſque quas habebat, in ſeruitutem eſſe deportatas. Miſertus eſt illorum, ex improuiſo namque illos adorti erant inimici; quocirca cunctas intendit vires, quatenus illos barbarorum eriperet poteſtati. Hoc tibi pariter incumbit: Quando *Præoccupatus fuerit homo.*

1.Reg.30. Per hoc indicat Apoſtolus, ipſam correptionem propriè locum habere in peccatis infirmitatis, vel ignorantiæ: hæc quippe ſunt, in quæ labitur homo, circumuentus, illaqueatus, ſuum non attendens infortunium, totus incurius. In peccatis autem malitiæ non ita locum habet: etenim in illis non capitur quiſpiam inexſpectatò, nec dicitur *Præoccupatus*, ſed quòd ipſe ſibi malum voluerit conquirere voluntarius: de hoc agunt Theologi. Hoc idem ſignare voluit Apoſtolus, addendo *Homo*. Eſt qui peccat, vt homo, & eſt qui peccat, vt diabolus. Quando quiſpiam peccat vt homo, cum enim infirmus ſit & ignorans, & imprudens à diabolo illaqueatur, illi compatere, nec mireris, quòd ſtraminea domus conflagret, ſi ignem iniiciant, & in fruſta diffringatur fragilis, & ex luto molli compoſita.

VII. Infirmitatis peccata ſunt compatienda.

VIII. Corripiat ſpirituales.

Cui, precor, principaliter conuenit admonere? *Vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite.* Multa his verbis includit Apoſtolus. Primum: quòd qui ſaluti vitæque correptione non conſulit proximi non ſpiritualis, ſed carnalis eſt. Quando carnalia, vitæque temporalia perpendis: alſque, Domine, ſi illum corripuero, me deteſtabitur, eius perdam amicitiam, carnalis es, non ſpiritualis, ex eorum numero, de quibus ſic Apoſtolus: *Animalis homo non percipit, ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Ingemiſce, & eiuſdem Apoſtoli repete verba: *Carnalis ego ſum, venumdatus ſub peccato.* Qui ſpiritualis eſt, ſpiritualia magni pendit, curat, prætendit, temporalia licet ſubeant non vulgare periculum, ſpiritualia temporalibus confert, & perpendit quanti referat proximi ſaluti inuigilare, quod ait Apoſtolus perficiens, *Spiritualia ſpiritualibus comparantes.*

1.Cor.2.14. Rom.7.14. 1.Cor.2.14.

Secundum: quòd non infirmior expediat vt ſit ipſa carne ſpiritus, nec corporalis, & naturalis amor ſpirituali gratiâque præualeat. Nunquam ſatis admirari potui ſolicitudinem, qua carnales ſtudent à damnis incolumes liberare ſibi carnis cognatione coniunctos, filios, fratres, amicos, affines, quos periculis, iacturis, & vident oppreſſos calamitatibus. Quæ cura matri dum filiæ in oculo nubes ſubobſcura exoritur, quæ maculam conſpergat venuſtati? Quas non inquirit aquas, collyria, remedia? Quàm anxius pater dum filius ardentiſſimis vexatus febribus lecto detinetur moriturus? Sed quid ſi videat, ab inimicis ad mortem inquiri, litibus, quibus facultatum patiatur naufragium, diuexari? Non ſegnior conuenit, vt ſit ſolicitudo ſpiritus, cum minora non ſint pericula, damnaque ſpiritualia, nec ſit impotentior amor ſpiritualis quàm carnalis. Fierine poteſt, vt videns filium corpore laborantem tantâ torquearis curâ, quibuſlibet medijs eius ſaluti prouidendo, at videns illi perire animam, nec vlla mouearis omnino ſolicitudine? Carnis non ſpiritus amore inſtigaris.

Tertium: non omnibus conuenit in alijs defectus & peccata corripere, vt doctrina notat D. Hieron. a. & D. Aug. b. ac Doctoris Angelici c. ſed viris ſpiritualibus, ab huiuſmodi defectibus liberis: planum etenim eſt (inquit D. Hieron.) quod in te aliàs illud Chriſti verificabitur & à peccatore poterit obijci: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides &c. Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo.* Sic appoſitè D. Ambr. notat id quod Iudæ patriarchæ contigit: voluit enim arguere, & flammis exurere Thamar nurum ſuam vt inceſtuoſam: cumque in eam vt combureretur inſtaret animoſior: reſpondit illa: proferens Iudæ baculum & annulum contra eum teſtimonia luxuriæ: ſic ait: *De viro cuius hæc ſunt concepi.* Quò Iudæ os obſtruit, & ad innocentiæ coëgit teſtimonium: *Iuſtior eſt quam ego.*

a In c. 7. Matth. b Lib. 2. de ſer. Domini in monte c. 2. c 2. 2. q. 33 ar. 5. Matt. 7. 5. Lib. 1 de pœnit. c. 8. Gen. 38. 26.

Refert D. Hieron. quod cum inter Græcos non leues eſſent exortæ diſcordiæ, Rhetor quidam celebris Gorgias, illos correpturus librum edidit non vulgaris eloquentiæ. Cumque legerent illum attentiùs, en prodit in medium eius inimicus Melanthius, cœpitque ſcommatibus Rhetorem lacerare. Viden' quot noſtras arguat ſimultates, vir Ille, in cuius domo cum plures non ſint, quam ipſe, coniux eius & ancilla, perpetuis inter ſe ſtrident diſſidijs, ſic vt illos nemo poſſit ad concordiam reuocare. *Hic nobis de concordia præcipit, qui ſe & vxorem, & ancillam in domo concordare non potuit*, quo confuſus alter ſupra modum euanuit. Præcipit Dominus leproſo: *Os veſte contectum* gerat, quod id-

D. Hier. Lib. 1. contra Iouinia. Tom. 2.

ſolum

ſolum illi liceat aperire, dum ſuam alijs indicat Immunditiam, inclamando: Cauete vobis á me: leproſus etenim ſum. Emunctoria quibus lampades emunguntur, quæ propter mucum, vel ellychnium nimis exuſtum, inquinantur, vult Deus puriſſima ſint, & mundiſſima auro ductilia. *Exod.35.*

Nobilis quoque, quem D. Ioannes vidit arcu & ſagittis armatum, equo vehebatur niue candidiore: Hoc enim in vitæ tuæ requiritur actionibus, quatenus ſagittæ correptionis, quas arcu emitteres charitatis, effectum haberent certiorem, cordaque profundiùs penetrarent. Quinimo & hoc mihi perſuadeo, hanc vnam inter alias eſſe rationem, qua multi, ne corripiant alios, cohibent: quia tales non ſunt, nec moribus integri, vt par eſt, audirentque forſan ſuæ reprehenſionis Echo, qualis Ægyptios vehementer exterrebat; de quibus mane Deo fauente diſſeremus. *Apoc.6.*

### §. 20. *Sit correptio cum inſtructione, & doctrina, & labia tua lilia diſtillantia myrrham.*

☞ 52 NOn prætereamus aliud Apoſtoli verbũ: *Huiuſmodi inſtruite.* Quia (vt diximus) vocibus fieri non debet correptio commotis, ac clamoſis, quaſi eſſes malæ cauſæ cauſidicus, ſed inſtruendo; docendo, monitionibus oculos aperiendo peccatori, demonſtrando qualiter ſtatus quo viuit, ſit in Dei iniuriam, Reipublicæ ſcandalum, animæque perditionem. De hoc expoſtulat Iob contra amicos ſuos, quòd verbis eum arguerent aſperioribus, & non admonerent ſuauioribus. Hoc illis indicauit, vt notat Olympiodorus in cate. Græca Iob: *Numquid poteſt comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum?* Quis cibum comedet inſulſum, ſi ſale non condiatur, quo ſaporem contrahat gratiſſimum? ſal ſymbolum eſt ſapientiæ. Quis patiatur reprehenſionem quæ verè inſulſa eſt ſi non doctrinæ, ac rationum ſale, terminiſque prudentiſſimis condiatur; quemadmodum Nathan Dauidem acceſſit, illi caſum proponendo iuſtitiæ & conſcientiæ, quò primum illi excitaret intellectum, ſuæque agnoſceret culpæ rationem, in homine illo, qui pauperi abſtulerat ouiculam. Idcirco ait Apoſtolus, notante D. Gregor. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Idem quoque ſuo præſcripſit diſcipulo Timotheo: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* *Iob c.6.6.* *Ho.11.in Ezech.* *Ad Colos. c.4.6.* *2.Tim. c.4.2.*

Cum fratre agendum eſt ratione, vt homine qui vtitur ratione, & non verberibus, ſicut cum iumento irrationali, quocirca ait: *Si præoccupatus fuerit homo.* Eam ob cauſam correptio Christiana, quam nobis hodie præſcribit Chriſtus, virga vocatur directionis: *Virga directionis, virga regni tui. Virga directionis* idem eſt ac virga quæ dirigit, docet, ducit, illuminat. *Pſal.44.*

Propoſito conſonat ſymbolum, quo idem cœleſtis declarat ſponſa, ſponſi ſui diuini faciei depingens venuſtatem, præſertim autem labia, de quibus ſic ait: *Labia eius diſtillantia myrrham primam.* Dicitur, myrrha prima, perfectiſſima, ſelectiſſima, efficaciſſima, quæ ipſa eſt quæ de myrrhæ arboribus diſtillat, ex quibus colligitur; illa namque collecta, diffiſſis arboribus alia defluit non tam pretioſa. Conueniens apprimè ſymbolum eſt myrrha correptionis, duabus de cauſis: quòd amariſſima ſit, & à putredine vermibuſque præſeruet, quæ duo nullo contradicente, in correptione comprehenduntur. De cœleſtis ſponſi labijs hæc myrrha defluit, & de illorum qui veri ſunt eius & filij & diſcipuli. Porro ſunt labia velut lilia, vel ipſa lilia: *Labia eius lilia.* Varijs lilia nitet coloribus cœruleo, pallido, candido, melino, aureo, gemmeo, qua de cauſa vocatur lilium, nomen à cœli pulchritudine coloribus diſtincta deriuando, quod Iris dicimus, vel vt alij liris epithetum à Gentilibus Deo adſcriptum eloquentiæ, cui illud eſt ſingulare multâ pollere gratiâ in dicendo, varijs & admirandis Rethoricæ coloribus, vt quod intendit perſuadeat, quos Iridis grati varijque deſignant colores. Talis ſit, oportet correptio, comis, amica, verbis vrbanis, compoſita, quæ vt orator diſertiſſimus, perſuadent; non verberibus fiat, ſed verborum eloquentiâ, viuiſque argumentis ad id quod præ manibus habet ſuauiter introducat. *Cant.5. 1. Myrrha ſymbolum correptionis.*

Expendunt Eucherius, & Rabanus Maurus, refert gloſſa: Nullum efficacius reperiri potuiſſe remedium, ſedandi Saulem ſpiritu nefario fanaticum, quàm gratiſſimam pſalmodiam ſeu muſicam Dauidis, ſymbolum (inquiunt) optimæ correptionis; quæ curat peccatorem, qui peccato lymphaticus arripitur; reprehenſio benigna, artificioſa optimis ducta conſonantijs: idcirco namque dixit Spiritus S. *Lingua ſapientum ſanitas eſt &c.* De prudenti correptione ſic per ſimilitudinem loquitur Salomon: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem.* Ab aure dependet inauris, vnde neceſſe eſt ſit vermiculata: multum, & affabrè elabo- *1. Reg. 16.* *Prou. 15.* *Prou. 25.*

elaborata, ſed vix vllius ponderis, ſi namque auribus plumbi laminam viginti quinque pondo appenderis, antem non pulchrè adornabis, ſed fœdè lacerabis. Talis ſit tua correptio. Materiæ noſtræ verba congruunt Salomonis: *Ne reuerearis proximum tuum in caſu ſuo, nec retineas verbum in tempore ſalutis; non abſcondas ſapientiam in decore ſuo.* Caue ne reſpectu humano ductus omittas fratris correptionem, ne dixeris, non audeo, ne dixeris, confundam illum: etenim non omittit adhibere chirurgus vulneri remedium, licet pudore confundatur. Non te verbi vnici pœniteat, cum fieri poſſit, vt illo ſalutem fratri reſtituas. Si multam oporteret te impendere pecuniam, non tantum hoc eſſet ſi reſiſteres, at cum tibi tam paruo conſtat vnico nempe verbo, ne te precor excuſaueris? *Ne retineas verbum &c.* At aduertas ſit illud ſapientiâ, prudentiâque gratioſum. Hoc eſt: *Sapientia in decore ſuo.* Monet, vt correptio ſit prudens, multoque ſale condita: ne ſtultis verbis vt clauâ percuſſeris nodoſâ, hæc etenim diffringunt, & diffracta non reparant.

[Eccl. c. 4. 9. 27.]

☞ 53 Deinde *Inſtruite* (inquit Apoſtolus) cum virga erat manna, & tabulæ legis: etenim correptio mannæ dulcedini, legiſque ſit ſociata doctrinæ: peccatori demonſtrando quàm ſit, quod agit, Deo iniurium ſibique pernicioſum: *Inſtruite*, Et hoc quomodo? *In ſpiritu lenitatis*: Aduerte (inquit D. Chryſoſtom) qua ratione Dominus acceſſerit Adamum correpturus: *Ad auram poſt meridiem*, a id eſt in leni ſpiritu, non accedit vociferando, non improperat: traditor, perduellis, inimice, ſed omni ſuauitate: *Adam vbi es?* q. d. Non tibi nomen, quod impoſui, Adam aufero, verumtamen perpende fili mi, in quas incideris calamitates: Cur fugis, te quid abſcondis? Domine: quia nudus ſum. Et quis precor, tibi tuam indicauit naturæ ſentire nuditatem: niſi peccatum tuum, quod ex illa cognoſces. O ſummam ſuauitatem! Poſtmodum quando venit correpturus Eliam, turbinem præmiſit omnia ſubuertentem, ignem ardentiſſimum omnia conſumentem; *Non in turbine Dominus* (inquit Elias) dein auditur *Sibilus auræ tenuis.* Spiritus lenis & ait Elias: adeſt Dominus, & verè realiter adfuit, correpturus & inſtructurus prophetam. omnibus quippe eſt in confeſſo, aſſerit D. Bernard. id quod ait Rex & propheta: *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Si ſpiritu illo vehementi proximum contereris: *Non ſaluabis, ſed conteres* (inquit Diu. Bernard.) Conſidera, quo ſpiritu Dauidem Nathan reprehendat (aduertit D. Chryſoſtom.) accedit, ingreditur, non exprobrat. O Rex adulter, homicida, populi ſcandalum, Reipublicæ lapis offenſionis.

[Ho. de laude primi omnis Tom. 1. & Ho. contra Iudæos & Gent. Tom. 3. a Gen. 3. 9. 3. Reg. 19. 11. Pſ. 47. 8. D. Bern. Serm. 2. Paſch.]

*Ingreſſus non dixit: O flagitioſe, ô prophane, ô adulter, ô carnefex*, ſed captat beneuolentiam, propoſito diuitis pauperiſque paradoxo. Quin imo Dauidem peccatum ſuum cognoſcentem, confitentem, dicentemque *Peccaui.* Non aſperiùs obiurgauit, *Non dixit ad eum, ô miſer, ô calamitoſe &c.* Sed continuò verbis lenit conſolationis: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum non morieris.* In te tuliſti iudex ſententiã, dicendo vir mortis eſt qui fecit hoc, nec ideo tamen vult punire te Deus, ſed vitæ tribuit indulgentiam: *Tu quidem dixiſti: Gladio interibit: at ego dico tibi, non morieris.* Hæc eſt, ita hæc bona correptio: Cum nec impudentem adeo peccatorem vt Herodem Baptiſta correpturus, verbis aggrediatur conuitioſis *Non dixit* (inquit D. Chryſoſtom.) *ſceleſte, pollute, præuaricator ac prophane, conculcaſti Dei legem, contempſiſti Dei legem; contempſiſti quæ ſtatuta ſunt, potentiam tuam legem feciſti; ſed in reprehenſione apparuit multa manſuetudo viri, & mititas: dixit enim: Non licet tibi habere uxorem fratris tui: erat magis verbum docentis, quam reprehendentis, erudientis magis quam punientis.* En tibi qualiter ſit proximus arguendus: *In ſpiritu lenitatis.* Alludit iiſdem verbis Apoſtolus (teſte D. Bernard.) ad illud quod in Chriſti academia docebatur quod ſi diuina Redemptoris verba perpenderis, occurret tibi, quod dicturus: *Beati miſericordes*, prædixit vt fundamentum, *Beati mites.* Etenim opera miſericordiæ ſupponere debent, eius qui illa facit, cordis manſuetudinem, compaſſionem, benignitatem, non indignationem; præſertim autem opus miſericordiæ correptionis, hâc quippe ſuppoſitâ non vulgaris ſequetur effectus; iuxta illud: *In manſuetudine opera tua perfice.* Nota verbum *Perfice*: deſideras, vt opus illud correptionis debitam aſſequatur perfectionem, optatumque fructum? Manſuetudine perficiatur. Ne turbatus acceſſeris, turbando: commotus commouendo, inquietus inquietando, ſed mantus manſuefaciendo: *In manſuetudine; in ſpiritu lenitatis.*

[D. Chr. In pſ. 50. Tom. 1. 2. Reg. 12. 13. D. Chr. Ho 28. in 2. ad Cor. Tom. 4. In Tractatu de gradibus humilitatis. Matt. c. 5. 7. Eccli. c. 3. 19.]

**§. 21. *Docuit Deus modum corripiendi peccatorem, ſuo modo procedendi cum Chananæis, Chriſtuſque D. Petro declarauit.***

83. 54 QVantum ſapio, tangit Salomon id quòd Deus egit cum Pharaone. Erat autem tyrannus hic omnium pertinaciſſimus, & eorum quos mundus ſuſtulit maximè refractarius. Aliquem vt illum corriperet, miſſurus, deſtinat Moyſen, cuius manſuetudinem ſic com-
Nu.c.12.3. mendat Spiritus S. *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Iam
Exod.7.1. ipſum miſſurus, ait illi: vade: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Quid habet Deus? Qua ratione habuit Pharaonem, illamque gentium barbariem, Chananæos, Pherezæos, Amorrhæos, Ammonitas, Moabitas? &c. Hoc ſubtiliter explicat Spiritus S. dicens, quòd illos benignè, verbiſque præmoneret amoroſis: at cum rebelles eſſent,
Sap.12.1. prius illos muſcis, veſpiſque moleſtauit: *O quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omni-*
1. Manſuetè peccatores corripiendi. *bus.* Noſſe deſideras quis ſit ille ſpiritus benignus, quem optat Apoſtolus: *In ſpiritu lenitatis?* Ille eſt ſpiritus Dei bonus & ſuauis. Et quid habet ille ſpiritus? benignè corripit peccatores etiam obſtinatos: *Ideoque eos qui exerrant partibus iudicas:* q.d. Sēſim, magna moderatione, non tumultuariè, hoc enim eſt: *Partibus corripis.* Deinde, *Et de quibus peccāt, admones, & alloqueris.* Admonitionem indicat paternam verbaque blandiora: *Vt relictâ malitia credant in te Dñe.* Declarat, quā lentè Dominus proceſſerit Chananæos illaſque barbaras corripiens nationes, in miſericordia & benignitate, modo expectans, amodo cedens. Hoc quoque conſiderabat: quòd ex natura peruerſi eſſent, à primis vnguibus maledicti, filij nequam, generatio Cham reprobata: *Partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam eſt natio illorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum.* Tam peruerſæ ac naturali malitiæ, atque inclinationi Deus compatiebatur, eiuſque habebat rationem: *Semē eorum erat maledictum ab initio, nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.* Altū vereor myſterium: cum enim poſſet mutare Deus, omniaque commouere, vt hic ſupponitur: *Non quia impotens eras &c.* Singulorum tamen perpendit naturam & inclinationē, ſumma omnia ſuauitate moderatus, illis magis cōpatiens, quorum videbat naturam nequiorem, & benignius ſufferens qui ex indole peruerſa erāt prauiores: hæc etenim eſt diuini ſpiritus bonitas, hæc eius blanda benignitas: *Tu autem Dominator virtutis, cum tranquilitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos.* Non ſtrepitu, non verberibus, cū tamen ſit Dominus virtutis: noſque cum magna diſponit reuerentia rogando, monendo, blandiendo. Quid Dominus his intendit? *Docuiſti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iuſtum eſſe, & humanum.* Verba ſunt hæc præclariſſima, quorum conſideratio multos impleret codices. Quid Domine his intendebas operibus, niſi populum docere qua ratione ſua perficeret opera: veſtrâ namque regulâ ſunt ſecura quâ noſtra perfectiùs abſoluamus. Iam enim Chriſtus nos hortatus eſt: *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Docuiſti nos Matt.5.48.
primò: iuſtos eſſe, & quidē ita intendere iuſtitiæ, II. Correptio ſit iuſta
vt nullas perferamus iniquitates, quibus nos nō & huma-
acriter opponamus, vt & earum auctoribus. Se- na.
cundò: vt ſimus humani, manſueti: *Oportet iuſtum eſſe, & humanum:* quod vltimò ponit Apoſtolus, *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Hinc collige qualis eſſe debeat correptio, loquendo, monendoque proximum, ac teipſum conſiderando: cum tu forte illo ſis nequior, & ſi frater in vno delinquat, tu in altero: Quod ſi tibi ſuas, Deus ſubtraheret manus, ſicut illi: millies illo fores ſceleſtior: *Conſiderans teipſum.*

Spectat Apoſtolus vt opinor, illud ſupremi Magiſtri ad Petrum: *Simon, ecce Satanas expetiuit* Luc.22.31.
*vos vt cribraret ſicut triticū: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando cōuerſus confirma fratres tuos.* Noueris Petre, quod Satanas optarit, atque à Deo poſtularit daret licentiam ſicut in Iob, vt ventilaret te ſicut agricula aceres & frumenti retrimenta ad ventulum vanno excutit & repurgat: attamen habeto meæ gratias orationi: eius namque virtute non deficiet fides tua: non enim tua virtute in te illa cōſeruabitur: niſi etenim pro te rogaſſem, periſſes. Proinde *Conuerſus*, hoc eſt in te conuertēs oculos, teipſum conſiderans: quòd cum tantum ſis à me confortatus, honoratus Sacramentis & gratuitis ſubſidijs, corruiſti tamen, & niſi meos ego ad te conuerterem oculos, atque in tuos defigerem; perpetuis tenebris obcæcarentur. Ad hæc D. Ambroſ. perpendens quantopere Saluator noſter Lazaro mortuo condoleret, iam eius meditatus reſuſcitationem, ſic vt ſuper eum lacrymas funderet; ex toto corde & imo pectore ſic Deū D.Ambr.
deprecatur: *Da vt quotieſcumque peccatum alicu-* Lib.2. de
*ius lapſi exponitur, compatiar, non ſuperbè increpem,* pœnit.

*pem,ſed lugeam & defleam,& dum alia flico, me-*
III. Conſide- ra ſe ip- ſum. *ipſum defleam dicens: iuſtificata eſt magis Thamar, quam ego.* Meminit hiſtoriæ illius, quam ante retulimus de Iuda Patriarcha & Thamar nuru eius. Si puellam videris cecidiſſe iuniorem: attende quòd tu cecideris vir, minoribus irritatus occaſionibus. Si ſæcularem vanæ videris vituperabilem conuerſationis, variéque diſtractum: attende quòd tu talis ſis etiam Eccleſiaſticus, Deóque exiſtens conſecratus. Conſidera, quod ſi corruerit frater, graui forte premebatur occaſione, tu verò minori impetitus grauiùs corruiſti. Sic hoc D. Chryſoſt. pereleganter trutinando perſequitur.

D.Greg. 18. ... in Euang. O Phariſæi proditores (exclamat D.Gregor.) qui toti in alienis erant corripiendis defectibus, ſed indignabundi, velut ille, qui proximus altari pauperem irridebat publicanum, in ipſo peccata contuitus, & in ſeipſo bonum illud, quò ſe diuitem ſanctumque gloriabatur, ex quo grauem in alterum concepit deſpectum atque indignationem, de ſe verò ſuperbiam infernalem. O malam iniuſtamque iuſtitiam: *Oportet iuſtum*
Matt.5.20. *eſſe & humanum.* Optimè dixit Redemptor: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis &c.* Illi ſeipſos iuſtos eſſe arbitrabantur, at ſuperbi erant, & in peccatores acriter commouebantur. Falſa eſt hæc iuſtitia: *Falſa iuſtitia indignationem habet: vera iuſtitia compaſſionem habet.* (inquit D.Gregor.) Nam qui ſyncerè iuſtus eſt, propriam attendit miſeriam, conſiderâſque quòd ex eodem ſit cum altero luto compoſitus, atque fragilis, nec minoribus circumdatus miſerijs, Diuinæ tribuendum cenſet pietati, quòd non in grauiores, quàm alter corruerit ipſe calamitates.

Hoc igitur modo in ſpiritu lenitatis, & compaſſionis conuenit, fratrem corripias, ſic enim eſt Dei Spiritus. Ob quam cauſam (vt aduertit D.
Tract.6. in Ioan.9. Auguſtin.) Spiritus hic in columbæ ſpecie ſuper Chriſtum apparuit in Iordane. Habet namque columba roſtrum, ſed fel non habet: ita & Spiritus Dei mordet, reprehendit, corrigit, ſed ſuauiter, nullo ferox in pectore felle amaritudinis. Prudentem imiteris Abiemelech, qui vt Hieremiam puteo demerſum extraheret quoſdam illi funes adiecit quos brachiorum axillis ſupponeret, quia verò nouerat quòd ſi nudas illis conſtringeret carnes, forſitan illas perſecarent, veteres pariter illi pannos ſubminiſtrat, quibus funium durities temperaretur, vt & inter illos, carneſque compoſiti, minori carnem afficerent
Hier.38. cruciatu, *Pone veteres pannos.* Proſequitur hanc hiſtoriam congrue propoſito noſtro D. Gregor. Lib.25. mor. c.8.
cuique facile erit illam intelligere, illaque vti ne adieceris peccatori in puteum peccato demerſo nudos reprehenſionis funes, illum etenim irritabis, ſed adde verba, & rationes, quæ dolorem minuant, quem rudis adferre correptio potuiſſet: Sanctorum exempla profer antiquorum, noſtram perpende infirmitatem, tuum, quo erga eius ſalutem ferues, explica deſiderium: Huic finem imponamus argumento breui reſolutione, ex eodem D.Gregorio deſumpta, cu- D.Greg. Hom. 1. in Ezech.
ius verba, loquentis de eo qui fratrem corripit, vobis propono: *Penſare debet quid loquatur, cui loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur. Si enim vnum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum quippe eſt, ſi rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti.* Hæc verba Dominus locutus eſt Caino iuxta lectionem Septuaginta, quam SS. Patres communiter ſequuntur: *Rectè* Gen.4.7. *offerimus cum bono ſtudio bonum opus agimus: ſed non rectè diuidimus, ſi habere diſcretionem in bono opere poſtponamus. Conſiderare enim debemus quid loquamur, vt iuxta Pauli vocem, Sermo noſter ſemper in gratia ſale ſit conditus. Penſandum vero nobis eſt, cuinam loquamur: quia ſæpe increpationis verbum, quod hæc admittit perſona, aliena non admittit, & ſæpe ipſa eadem perſona, ſecundum* Ad Coloſ. 11.c.4. *factum fit altera &c. Penſandum quoque eſt, quando loqui debeamus: quia ſæpe & ſi differtur increpatio, poſtmodum benigne recipitur: & numquam langueſcit, ſi hoc quod ante preferri debuit, tempus amiſerit. Nam & ſapiens mulier Nabal ebrium videns &c. Penſandum quoque nobis eſt, qualiter* 1.Reg.25. *loquamur nam ſæpe verba, quæ hunc ad ſalutem reuocant, alium vulnerant. Vnde Paulus quoque Apoſtolus, qui Titum admonet, dicens: Argue cum* Ad Tit. c. 2. *omni imperio, Timotheum exhortatur dicens: Argue, obſecra, increpa, cum omni patientia & doctrina &c. Curandum quoque quantum loquamur,* 2.Tim.4. *ne ſi eſt qui multa ferre non valet, per verbum vel exhortationis, vel increpationis longius trahimus, auditorem noſtrum ad faſtidium, perducamus. Vnde idem Prædicator egregius Hebræis loquitur dicens: Obſecro vos fratres, vt ſcripſi vobis. Hoc tamen* Hebr.c.4. *infirmis præcipuè congruit vt pauca quædam, & quæ præualent capere audiunt &c. Vnde & medici corporum pannos quos infirmantibus ſtomachis ponunt apto quidem medicamine, ſed ſubtiliter liniunt, ne ſi repleti multo medicamine fuerint, infirmitatem ſtomachi non roborantes adiuuent, ſed opprimentes grauent &c.*

§.22. Lucratus eris. *Tale à Deo præmium obtinebit, qui lucratus illi fuerit animam, quale à Rege, qui regnum illi lucratur.*

55 S*I te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* O quam vtilem lucratus eris operis mercedem: & quam felicem adeptus ſortem: ſi te frater tuus audierit, ſeque correxerit. Nouit Dominus ita proprio hominem deditum lucro, Iob c.7.1. ſicut mercenarium: *Sicut mercenarij dies eius.* Qui nec ligone ſemel terram quidem percutiat niſi ſub ſpe mercedis; ea namque de cauſa vineæ operarijs primum proponit de danda mercede compactum: modo verò, ad tanti operis difficultatem aſſignat ſpondetque præmium: *Lucratus eris fratrem tuum.* Hoccine Domine ergo manet me præmium? quantum video ad ipſum ſpectat commodum, ſicut ſpectabat & damnum, niſi illum lucratus fuiſſem, & perire ſiuiſſem: Illo nihilominus termino Saluator vtitur, quo vnico verbo præmij declaret tibi à Deo dandi magnitudinem. Nihil pluris facit Deus, nec eſt pro quo præmium tribuat eminentius, quam ſi vnicam ei animam lucratus fueris.

I. Animæ dignitas expenditur. Primò: quia conſtitit illi carò, & in eius dedit quidquid habebat, redemptionem, vt nec cordis ſui parceret ſanguini; non vitæ non animæ, non ſibi ipſi temperaret: *Dedit ſemetipſum pro nobis.* Tit.c.2. Lapis eſt pretioſus, ad cuius inquiſitionem deſcendit de cœlis, & vt eum ſibi compararet vniuerſa diſtribuit, vt ipſe in ea declarat, quam de hoc propoſuit argumento parabolâ. Secundò: ex illo quod altero die diximus: nimirum animas eſſe Dei regnum, nec tanti à Rege regnum æſtimari totius coronæ ditiſſimum, quanti à Deo hominis tenuiſſimæ conditionis animam: D. Chr. Hom.3. in 1. ad Cor. Tom.5. *Nihil eſt quod animæ poſſit æquari* (teſtatur Chryſoſt.) *nec vniuerſus quidem mundus. Apud Deum* (idem ipſe) *viſibilium nihil homini par; & cœlum & terram & mare propter eum fecit; & in eo magis, quàm in cœlo delectatur, inhabitans.*

Quam mercedem tribueret illi rex, qui ei cõquiteret & regnum lucraretur, quo nullum opulentius? ſupremas exercitus ſui habenas moderandas conceſſit Dauid Ioab ob ſibi conquiſitum partumque caſtrum Sion quo ſuum extruxit palatium. Li.2. Reg. c.5. Diuitiæ omnium; maximæ, ac Deo propriæ animæ ſunt (inquit D. Gregorius Hom.1. de Nazianzenus.) *Deus nos pro diuitijs ſuis habet.* Hereditas primaria, qua Pater æternus vnigenıti filij labores immenſos crucemque compenſauit, animæ fuere mortalium: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Pſal.2. Num igitur, Domine populos gentesque filio legas dasque in hereditatem? & quales cum his reditus occupabit, quot millones? Apud nos enim pauci fierent ſubditi plurimi, & opes nullæ, nullæ facultates. Sunt hæ filij facultates, ſunt eius opes, ſunt cenſus, ſunt arma: animæ ſcilicet hominum. Omnes in vnum congeſti adamantes, omnes ſmaragdi, & quotquot gemmæ ſimul inueniuntur non tanti valent, nec æſtimantur tanti, quanti vnica anima. Quanti Rex penderet gemmã, quæ pilam æquaret magnitudine? Smaragdum inſtar lapidis molaris. Omnes hæ diuitiæ puluis ſunt in comparatione animæ. Sunt animæ diuitiæ, animæ ſunt gemmæ adeo Deo pretioſæ, vt nihil illis plus poſſit æſtimari.

Tu ergo perpende, quali ſit præmio Deus remuneraturus eum, qui illi conquirit animas. Longè maiori, (teſtatur D. Chryſoſt.) quàm ſi manu liberali omnes tuas in pauperes diſtribueres facultates: *Si immenſas pecunias pauperibus eroges, plus effeceris ſi vnam conuerteris animam. Magnum ſane, & laudabile eſt, miſereri pauperibus, ſed magis ſi errantem ab errore reuocaueris.* Illud autem attende toto decurſu Euangelij: etenim antequam aliquid diceret, aut mandaret eorum quæ audiſtis, mirabili quadam doctrinâ, & varijs ſimilitudinibus ſupponit quo loco hominis reponas animam. Primò: quia cuique earum Angelum deputat in cuſtodem, hoc enim verbis illis (inquit D. Hier.) indicauit, quæ paulo ante dixerat: *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei.* Math. 18. Quanti ſe facere Rex iudicaret hominem pauperculum: ſi in eius cuſtodiam, & defenſionem vnum de ſuis aſſignaret magnatibus, qui ſolum illi intenderet, curamque eius gereret indefeſſam? Domine, Rex conuenienter mittit magnatem principem, qui curam ſuſcipiat ſtatus Mediolanenſis, alium qui regni Neapolitani, alium qui Cataloniæ &c. Porro hoc ſingulis agit Deus animabus: non enim pluris facit regnum Rex opulentum, quam Deus vnicam animam.

Secundò: idem Dominus confirmat addens, 56
quòd ea de cauſa de cœlis in terram deſcende-
rit: *Filius hominis venit animas quærere & ſalua-* 11 Math. 18.
*re.* Et ad hoc parabolam adducit paſtoris, qui 12
perditam ouem, per auia, & inuia, per montes, 13
per

per ſyluas quæſiuit, donec inueniſſet. Et mulieris, quæ accenſo lumine, domoque euerſa, commotis omnibus perditam inueſtigat Margaritam, & parabolas propoſito accommodans non ſemel ait: *Gaudiũ eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* In qua propoſitione licet multa propoſito noſtro congrua ſint attendenda, illis tantummodo verbis inſiſte. *Super vno peccatore*, quod illi correſpondet, quod de Paſtore & ouibus dixerat: *Si perdiderit vnam ex illis.* Et ex parte declarabit exemplum de S. Carpo, quod D. Dionyſius refert diſcipulus D. Pauli, litteris reſpondens ſibi à diſcipulo ſuo Demophylo tranſmiſſis de benignitate quem Sanctus hic oſtiarium ordinarat, propriaque manu cucullo induerat monachali. Vidit hic die quodam enormem peccatorem, hominem flagitioſum, qui criminum ſuorum pœnitens, ſe pedibus aduoluebat confeſſarij tota mentis humilitate ſcelerũ deprecans indulgentiam, quem benignè Sacerdos ad pœnitentiam non parua ſuſcepit miſericordia. Zelo percitus indiſcreto Demophylus, acceſſit pœnitentem, & pedibus protruſum eiecit de Eccleſia: quod Deum tam grauiter offendiſſet: nec non contumelioſis aggreditur verbis Sacerdotem, exprobrando, quod reipſa oſtenderet, quàm flocci penderet Chriſtum, cum tanta ſuſciperet illos manſuetudine, Chriſto iniurioſos adeo peccatores, & ipſe oſtiarij fretus officio reum de templo nitebatur eijcere. Hinc quaſi de præclaro facinore gloriabatur, & de diuini nominis zelo feruentiore ſibi blandiebatur, vnde præceptori ſuo D. Dionyſio miſit Epiſtolam, rei narratiuam, cui ille reſpondit quod ſibi Carpus Epiſcopus narrauit vir non minimæ ſanctitatis, quem tradunt de numero fuiſſe ſeptuaginta Chriſti diſcipulorum, de quo mentionem facit D. Paulus de quo idem teſtatur D. Dionyſius, virum tantæ fuiſſe perfectionis, vt ex animæ puritate tantis meruerit delicijs frui cœleſtibus quod numquam ad miſſæ ſacrificium acceſſerit quin priùs cœlitus ſingulari recrearetur viſitatione. Profectus D. Dionyſius in Candiam, à D. Carpo ſuſcipitur hoſpitio, ſeque ab eo narrat audiuiſſe quod ſibi contigerat; nempe, quòd die quodã grauj dolore torqueretur quia Chriſtianum ab infideli fuiſſe ſeductum intellexerat, quocirca tantam in ambos concepit indignationem, ob illatam Chriſto Domino ſuo contumeliam, vt vehementer inſtiterit vtrumque cœleſti ferret igne, vel conſumeret. Hoc igitur zelo feruens, quem iuſtum eſſe opinabatur, ecce noctis medio vidit domum quam incolebat vehementi terræ motu concuti, totamque à ſummo vſque deorſum diffindi, ſurſum attollit oculos, cœlum videt aperiri, Chriſtum intuetur Angelorum multitudine conſtipatum. Iterum oculos deorſum deflectit, abiſſum conſpicit horribilem, ambos verò peccatores in quos acriùs excanduerat ob iniuriam Saluatori irrogatam, ad os abiſſi conſiſtentes, iam iam quaſi in illam delapſuros, ex qua magnus prodibat ſerpentum numerus, qui corporum ſuorum motibus, dentibus, oribus & linguis miſeros illos in abyſſum deturbare conabantur; nec non viros quoſdam circumſtãtes qui illos in præceps mergere moliebantur. Quos vt vidit D. Carpus gaudere cœpit, quaſi à Deo in precibus exauditus, qui ſibi vellet impios tam horrendo mulctare ſupplicio; dolebat autem quod in abyſſum non mergerentur, quod à ſerpentibus minimè deuorarentur, & quamlibet moram diuturnam nimis accuſabat, ex honoris Diuini zelo, reorumque ſupplicij deſiderio. Hoc œſtro commotus, cœlum verſus reflectit oculos, viditque Chriſtum his duobus flagitionibus compatientem, de ſede maieſtatis ſuæ ſurrexiſſe, qui deorſum deſcendens vbi miſeri hærebant iam perituri, placido vultu, & benigna illis porrigit pietate dexterã, quos Angeli, quatenus ſe periculo eriperẽt continuò adiuuabant; & ad Carpum conuerſus ſic affatur: *Vulnerauit me Carpus: iam enim paratus ſum & altera vice crucifigi, quo homines ſalutem adipiſcantur, & libenter mortem patiar, modo illi non peccent amplius. Tu vero, qui te oſtendis tam zeloſum, attende quid tibi conueniat, & num tibi melius ſit Dei clementiſſimi frui ſocietate, bonorumque Angelorum, quam in abyſſum hanc terribilem præcipitari, draconibus ſerpentibuſque ſcatentem.* Sic autem hoc concludit exemplum D. Dionyſius: *Hæc de Carpo ſuſcepi, credoque eſſe veriſſima.* Tu iudex eſto, num potuerit oſtendere Saluator euidentiùs, quanti faciat animã, quàm denuo ſe paratum offerens, quantum ex ſe eſt, ſi neceſſitas id exigeret, iiſdem perferendis cruciatibus pro animæ redemptione. Perpende nũ ex ratione dicere potuerit: *Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Ob vnius peccatoris iam perditi recuperationem diem celebrem cœlum agit feſtiuiſſimum, & iucundiſſimum. His non finit Chriſtus, ſed propoſitis his parabolis, quo loco habeat Paſtor ouem vnicam, & mulier dragmam perditam, fuſam conſequenter inſtituit concionem, qua declarat omnes velle ſe vt cum ipſo hanc operi manum adhibeamus atque hodiernum introducit Euangelium;

gelium; ſi tanti igitur Deus æſtimet animam, quali te præmio donabit ſi lucratus vel vnam illi fueris: Maius & eminentius nullam decreuit aliud Apoſtolis ſuis & diſcipulis cuiuſcumque operis lucrum, quàm huius, vnde & illis ait: *Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Magnum eſſe in cœlo, hanc, inquam, dignitatem diſcipulis aſſignauit copulatam, eruditioni; peccatorumque correptioni: quod verbo comprehendit quod de ſeruo proloquitur fideli, qui doctrina ſua illi animas acquiſiuit: *Amen dico vobis ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Ex hoc, quantum ſapio poteſt illi declarari ſententia, quam bis Salomon repetit: *De fructu oris ſui vniuſquiſque replebitur bonis.* Quid ergo num Dei bona verbis obtinentur? An non opera eaque magna requiruntur? Vtique, porro declarat, quòd inter illa, præcellat correptio, & medela peccatoris, verbis correptionis efficacibus, ſanctæque exhortationis adhibita.

Matt. 5.19
Matt. 24. 49.
Pro. 12.14. & 13.2.

## §.23 *Seuerè punit illum Dominus, qui vnicam animam perdiderit, vt patet exemplo Samſonis & Amalechitarum.*

57 HOc ipſum aduerte per argumentũ quod Rhetores & Dialectici vocant à contrario Scrutare ſcripturas: nihil inuenies tam ſeuerè à Deo punitum, quàm vnius animæ perditionem ſeu te eſſe occaſionem quod alius peccet, & alia corruat: vt autem hoc ſignificet, explicat per ſimilitudinem viri, qui nihil fert grauius, nihil acerbius, quàm ſibi ſponſam abripi, violari: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. Nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Patienter quis ſufferet, quòd illi bona diripias, miteſcit, & tibi remittit iniuriam, licet illum cultro transfoderis; at quòd ſponſæ ſuæ honorem violaueris, cui ſe deſponſauerat, hoc nullam inter homines meretur indulgentiam. Admirabilem plenè narrat S. pagina de Samſone hiſtoriam de medio præſertim quo Deus vſus eſt, vt eũ contra Philiſthinos prouocaret. Intendit Deus vt in illos excandeſcat tantoque moueatur odio, vt de eorum internecione cogat conſilia, eo modo quo Theologi declarant, quò Deum non faciant auctorem peccati. In hunc finem diſponit, vt Samſoni ſponſam eripiant. Filiam adamauerat Philiſthæam, licet autem parentes in matrimonio non conſentirent, fatebatur tamen ille, ſe eius amore langueſcere. Fili mi, dicebant ei perpende, hic in regione noſtra puellas eſſe ſatis multas tibi nobiſque conuenientes. Nullam præter illam aliam requiro, reſpondet Samſon: nam deperibat eam valdè. Spiritus autem S. ſic de hoc teſtatur: *Parentes autem eius neſciebant quod res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthijm.* Illam Samſon duxit in vxorem. Aliquamdiu abfuit ab illa: pater autem vxoris, Samſonem autumans amplius non reuerſurum, alterum filiæ prouidit maritũ. Quàm efferbuit Samſon! Accedit, factum reperit, vt leo furit, rugit, infremiſcit: ſocer Samſonem conatur placare rationibus, quod nimia eius mora concitatus hoc egerit aliam ſibi eſſe filiam, quæ pari placeat pulchritudine. Nullam admittit ferox rationem, iurat, quòd & ipſum omneſque Philiſthæos ignibus tradet exurendos: conatus eſt, & opere compleuit. Ita vt, quatenus in illos non reconciliabili ferueret Samſon odio, permiſerit Deus, vt ſua illi ſponſa auelleretur: ceterùm nihil nouimus, quod ſic ad bilem, vindictamque prouocet hominem. Ad quid hoc? vt noueris quid ſit, quod contra te Deum moueat acerbius. Quod hoc? ſuam illi auferre ſponſam. Quæ eſt iſta? Anima, quàm ſibi in baptiſmo deſponſauit: quid agis tu, qui puellam ad pudicitiæ ſolicitas iacturam? Et tu, qui iuuenem prouocas à mundo ſemotum vt vias ſectetur illicitas: & tu, qui laqueus es illi, quæ firma conſtat & ad caſum impellis? & tu, qui pacificum mitemque irritas ad vindictam. O quale ſupplicium!

Iudic. 14. 4.

Proh quale fuit illud quo mulctauit Amalecitas. Præcepit enim vt altare Moyſes erigeret, & ſuper Aram ex Dei nomine ſolemni ſe iuramento obſtringeret; quòd perpetuo illos bello moleſtaret: eo quòd Iſraeli in terram tendenti promiſſionis ſeſe in via, ne progrederetur, iunctis viribus fortiores oppoſuerunt. Planè mirabilis eſt hiſtoria, atque cæteris inter S. eloquij mirabilior quam expendit Abb. Rupertus. Cum Dei populus Pharaonis ſolutus ſeruitute, diuinâ virtute & potẽtiâ liber in terram proficiſceretur promiſſionis, ecce prodit illis obuiam cum omni populo ſuo Rex Amalec, viam obſtructurus, hocque nequiter agebat, vt debiles laſſoſq; qui reſederant, & poſteriores in agmine ſequebãtur inuaderet & occideret. Iubet Dominus Moyſi, vt prælio cum illo decertet, decertat & glorioſa populus victoriâ de illo triumphat. Ilico vocat Dominus Moyſẽ, ac præcipit, vt extruat altare; & in eo ſolemni ſe iuramento cõſtringat, quòd num-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nunquam intermittet perſequi Amalecitas eo-
ruṁque procurabit interitũ, nec vnquam tantæ
memoriã perdet iniuriæ, donec omnino deleta,
& expuncta de hominũ memoria ſit Amaleci-
tarũ memoria: vt vero hoc populi non elabatur
memoria: *Scribe* (inquit) *hoc ob monumentũ in li-* Iud. c.14.
*bro, & trade auribus Ioſue: delebo enim memoriam*
*Amalec de ſub cœlo*. Nec his Deus contentus, ſed
ſæpius tantæ populo afflictionis memoriã refri-
cabat ne vnquã illam negligeret, ſed ſemper ad
vindictam eſſet excitatus, quare hæc illis verba
mandauit: quæ grauiter expendit Rupert. *Memẽ-* Deu.17.
*mento quæ fecerit tibi Amalec in via, quãdo egre-* Exo.7.
*diebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi & ex-*
*tremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit*.
Quinimo ratio, ob quã regno Saulẽ eiecit, hæc 1.Reg.
fuit quòd cum illi iniunxiſſet, vt manu copioſa 15.8.
bello laceſſeret Amalecitas, omnes gladio cæ-
dẽte deleret, perſonas, domus, facultates, armen-
ta, ne vlla ſupereſſet ex illis memoria, cũcta ad
amuſſim nõ compleuit, ſed eorũ meliora reſer-
uauit. Quid hoc cœlorũ Domine? nonne tu ipſe
nobis iniuriarũ præcepiſti obliuionem? non tibi
ius vllũ iã ſupereſt illũ corripiendi, qui memo-
riã ſeruat iniuriarũ, cũ ipſe perpetuam eſſe præ-
ceperis earum quas tibi, tuoque populo irroga-
runt Amalecitæ, quos inextincto perſequeris
titione vindicaturus. Ne cortici litterarũ inhæ-
reas, monet Lipomannus, ſed trãſeundum ad id
quod Spiritus S. his voluit indicare: nẽpe quàm
impatienter Deus eum toleret, qui paupercula
mulieri, de peccato Ægypti, atque ſatanica ſer-
uitute egredienti, cœlumque verſus properanti
ponit offendiculũ eamque quæ pœnitentiã ſe-
ctatur ferventius, impiè ſeducit, qui iuuenem o-
culorũ palpebras aperire incipientẽ prouocat in
ruinã à virtute diuertit, ad ſcelera peruertit. Lu-
bet audire Lipoman: *Significat hac ſeueritate ſua,* Lipo-
*quàm graue peccatum, & quàm horribili ſupplicio* mas.
*puniendus ſit ſi quis miſero & afflicto in vocatio-*
*ne Dei ambulanti, addat nouam miſeriam, & af-*
*flictionem: nam Iſraelitæ paulo ante euaſerant gra-*
*uiſſimam ſeruitutem, & nondum recuperauerant*
*vires tam duro itinere exhauſtas. Acceſſerat eadem*
*fames & ſitis, qua paucis ante diebus torti fuerant,*
*vnde factum eſt, vt multi debiles, & infirmi inſe-*
*querentur exercitum eorum in vltimo agmine,*
*quos Amalecitæ occidebant.*

Quàm ſtomachabundus, quàm irritatus con-
tra barbaras illas nationes Deus, ſic vt lapides,
ignitoſque cœlo deplueret radios, ſolemque in
curſu ſuo detineret immotũ in illorũ ſupplicium:
quia bellum inferre præſumpſerant Gabaonitis

populo Dei confœderatis! quomodo te plectet
ſeuerus iudex, qui alterũ, ne cœlũ petat, impedis:
tu quoque qui alterã, à frequenti confeſſione, &
communione remoraris. Quærit D. Chryſo. cur *Ioſue c.10.*
Deus ſeuerius Euã quàm Adã punierit: attende D. CHRY.
quanto grauior fuerit ſententia quã in illã tulit: *Hom. de*
etenim in morte parem marito reddidit, inſuper *lapſu pri-*
& hæc addidit: *Multiplicabo ærumnas tuas &* *mi homi-*
*quare ergo Eua, quæ infirmior eſt, grauius punita* *nis & Ep.*
*eſt: quia illa non ſolũ peccauit, ſed virum ad pecca-* *2. & 3.*
*tum induxit*. Deinde diſputat cur ſerpentẽ horri- *ad Olim.*
bili illa ſententia mulctaret: *Maledictus es inter* *Gen. 3.16.*
*omnia animantia & beſtias terræ.* Si culpa vaca- I.
uerit: cũ diabolus ſerpentẽ inſtigarit? Reſpondet Cur Eua
quod ſi ſerpentem, cum peccatum non habeat, ſeuerius
nec poſſit committere, tam ſeuerè Deus caſtiga- puniatur
uit, eo quod diabolus lingua eius ſibi præualue- quam
rit, qua noſtros in ruinam pelleret protoplaſtes, Adam.
quid tibi timendum, qui tam es diabolicus, vt *Hom. ad*
honeſtam ad inhoneſta commoueas puellam. *Neophy-*
piam ad impia prouoces coniugatam, pudicum *tos.*
ad oculos ſollicites impudicos, mitem ad immi-
tem incites vltionem? In huius confirmationem *Ser. quod*
duo ex ſacris litteris expendit loca. Primum: *Væ* *regul. fœ-*
*ille, qui potum dat amico ſuo turbidum*. Sic ipſe *minæ vi-*
legit, quod noſtra vulgata habet: *Væ qui potũ dat* *ris non co-*
*amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians*. Secun- *habitent.*
dum. *Et propinabitis Nazaræis vinum*. Erat autem *Habacuc.*
vinum Nazaræis interdictum: q. d. Væ illi, qui *c.2.15.*
proximum ad illicita pellicit, quibus pereat. *Amos c.2.*
Quo plectetur ſupplicio Domine? Non expri- *13.*
mit, reſpondet D. Chryſoſto. nulla namque illi
exprimendo verba ſufficiunt, vnde propheta hoc
deſcribit illo verbo *Væ*. Quod ſupremum omniũ
eſt terriculamentum: fac igitur ex his conclu-
ſionem: Deo proprium eſt effuſe remunerari,
magis quàm ſeuerè caſtigare, ſi tali plectat ſup-
plicio illum qui trahit animam in damnatio-
nem, vt verbis exprimi non poſſit, niſi væ illi
imprecando, quo (precor) illum prœmio remu-
nerabit, qui lucratus ſibi fuerit animam? Sermo
non explicat, vnde ſufficit tibi dicatur: *Lucratus*
*eris fratrem tuum.*

Eia igitur Chriſtiane, huic attende, & mente II.
ſtudioſus reuolue prœmium (inquit D. Chry- Prœmiũ
ſoſtom.) quod propoſuit, promiſitque illi, qui promiſ-
in hoc Deo ſtrenuus ſeruierit: *Super omnia bona* ſum ijs
*ſua conſtituet eum*. Hanc conſidera promiſſionẽ: qui ani-
*Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meũ eris.* mã con-
Quod eſt os Patris? Filius, per illũ nobis loqui- uerterint.
tur: *Locutus eſt nobis in Filio*: per ipſum oſculum *Hier. 15.1.*
pacis humanæ obtulit naturæ q. d. Eris filio meo
ſimilis, cuius erat officium, animas ſaluare.

Quocirca,

Quoqueitea, ſicut illi in prœmium retributum eſt,
vt ſuper omnia Domini noſtri bona conſtitueretur: *Super omnia opera manuum Dei*, ſic quoque de
Matt. 24. 4. te dicitur: *Super omnia ſua conſtituet eum* te titulis Chriſti Domini noſtri exornat: *Quid huic
D. Chr. Lib. 2. de Sacerd. poteſt comparari?* quærit D. Chryſoſto.: *Non ego polliceor, ſed Deus.* Non ait eris D. Petro ſimilis,
vel D. Paulo, ſed: *Quaſi os meum eris.* Quibus ieiunijs, operibus pœnitentiæ, alijſque pietatis
Tom. 5. Ho. 16. ad pop. & orat. 5. ad Iudaos. exercitijs tale retributum eſt prœmium? Tale tibi prœmium addat animos, illamque tam grauem time maledictionem, quam pia prophetiſſa Debbora in ſuo Cantico filijs Ruben imprecabatur, eo quod in auxilium non veniſſent, cum Dei cauſa periclitaretur, vt populum de poteſta-
Iudi. 5. 23 te liberarent inimicorum: *Maledicite terra Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortiſſimorum eius.* Dei pariter metue maledictionem per Moyſen inflictam, Maledictus omnis: *Qui non ædificat domum fratris ſui in Iſrael.* Quis hoc capiat, quærit Manichæus? Nonne virgo, caſtuſque in Euangelio benedicitur? benedicitur; reſpondet D. Auguſtinus. Porro præcipit, vt in illo ſtatu virginali & caſto quiſque ſtudeat Deo generare filios per gratiam, animaſque conquirere. Mulier ſtudeat maritum lucrari, filius patrem, frater fratrem, viciuumque vicinus: vacuus namque apparebis, niſi tale contuleris lucrum: quod ſi contuleris, ô te felicem: omnibus Dei bonis ditaberis gratiæ præſentis, futuræque gloriæ. Amen.

Deut. 25. L. 22. contra Fauſt. c. 31.

# SVMMARVM

## HOIMILIÆ VIGESIMÆTERTIÆ SEQVENTIS.

LEGATIONEM præſens exhibet Euangelium Phariſæorum, Doctorumque Hieruſalem ad generis humani Redemptorem, contra Chriſti diſcipulos expoſtulantium. Ad quinque reducitur puncta. Primum, eorum nobis deſcribit qualitates. Prima: quòd ſint proditores, qui ſub
a §. 1. 2. 3. nomine corripiendi, obloquuntur. a. Secunda: quòd ſint inimici, odium etenim illis magnum oſtendit eſſe peccatum, illud quod nullum eſſe conuinci-
b §. 4. 5. tur. b. Tertia: quòd ſint verſipelles & aſtuti; nihilum ornando, vt eſſe quidquam ap-
c §. 6. 7. pareat. c. Quarta: quòd ſint hypocritæ, ſolius exterioris ſolliciti. d. Quinta: quòd
d §. 8. viri ſint peruerſæ linguæ, proinde extra omnem ſpem ſalutis. e. Secundum autem
e §. 9. 10. 11. punctum, nobis proponit, qualiter illis obfuſcare nitentibus Chriſti gloriam, illuſtrior ea nihilominus euaſerit, & qua ratione vnico illos eorumque rationes flatu diſſiparit.
f §. 12. 13. 14. f. Tertium, quomodo Chriſtus Phariſæorum traditionem declarat iniquitatem, cum ob illas præceptum de honorandis parentibus tranſgrediantur, quo mirandam proponit doctrinam, ſe illa non acceptare ſacrificia, quæ cum iniuria proximi
g §. 15. 16. 17. deferuntur: quantumque ſcelus ſit, parentes inhonorare. g. Quartum exponit, quòd Saluator doceat, hominum traditiones Dei legibus oppoſitas, eſſe repro-
h §. 18. 19. bandas. h. Quintum explicat, illotis manducare manibus, non eſſe peccatum: non enim, quod per os ingreditur, coinquinat, benè equidem quòd de ore foras
i §. 20. 21. 22. 23. procedit. i.

§. 1. *Deus ignis eſt ad eum accedentes illi, qui palea erant, exuruntur, ipſe verò clarius illuſtratur.*

§. 2. Acceſſerunt ab Ieroſolymis. *Mordent illi, velut Ceraſtes, diſcipulos: diſcipulorum enim defectus ac filiorum, in Magiſtrum parenteſque deuoluitur.*

§. 3. *Videntur illi apes eſſe ſed veſpæ ſunt:*

*ſa pi*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN